



BRITISH LIBRARY
MANUSCRIPT

konyvtár





P16/6/14



A. F. 673.

MUZEJ

SACRÆ & PIÆ
MEDITATIONES

I N
OMNES ANNI DOMINICAS,
FESTA HUNGARIÆ CELEBRIORA,
POTISSIMUM
DE SS. PP. LECTÆ, ET EX EVANGELIORUM
SERIE DIRIBITÆ,
P E R
P. LADISLAUM DEMÉNYI,

A S. NICOLAO, E SCHOLIS PIIS.



POSONII,
LITTERIS
JOANNIS MICHAELIS LANDERER,


**Cum omnis Religio, sine Ora-
tionis studio, ad relaxatio-
nem, & ruinam promptior sit,
curandum summopere est: ut
consuetudo mentaliter orandi
bis in die, videlicet mane &
vesperi nunquam intermitta-
tur. *Constit. Parte 1. Cap. 5.***



R 1&8

ALMÆ
PROVINCIÆ
HUNGARIÆ
CLERICORUM REGULARIUM
SCHOLARUM PIARUM

LADISLAUS DAMIANUS
à S. NICOLAO.



E t temeritatis, & ostentationis notam jure incurrerem, si post tot, tamque numeris omnibus absolutas lucubrationes, quas Clarissimi Viri, de Sacris Evangeliorum commentariis magno nisu lectas, per Meditatio-

num **Capita digeſſerunt** : **tenuitatis meæ bene mibi conscius**, ad no-
vas meditandi **formulas**, easdem-
que ex SS. PP. Monumentis potiſ-
ſimum depromendas, manum admo-
verem. Si enim alia omnia inſi-
ciari contingereſ ; una illa **Præpo-**
ſitis parendi necessitas, quam Regu-
lares Ordines profitentur, me ab
omni venditationis ſuspicione ſatis
ſuperque vindicareſ. Quid? quod
plurimum referat, ſi conceptis Do-
ctorum Eccleſiæ verbis, abditi Sa-
crarum Litterarum ſensuſ, in clara
veritatis luce proponantur. Di-
vinarum quippe Scripturarum do-
gmata, ex privati ingenii exupe-
rantia ultro citroque detorquere,
admodum pronum eſt; ſed ad ger-
manam Eccleſiæ Romanae intelli-
gentiam, inde a primis iisdemque
Sanctissimis Verbi DEI interpreti-
bus,

*bus, dilucide, graviter, sincera
que fide litteris consignata, in exile
opus contrahere; quemadmodum
nimisquam laboriosum, ita cum utilitate
non modica conjunctum vide-
tur. Quotus quisque etiam No-
strum est, qui ignoratione magna
illius difficultatis teneatur, quam in
colligendis, ad Instituti Nostri pro-
positum, ex variis Authoribus Me-
ditandi normis, in dies pati cogeba-
mur? Quotquot enim hujus gene-
ris Opuscula pervolutare licuit, fe-
re omnia alia a præcipuo Ordinis
Nostri fine complectuntur; aut si
quidpiam de solerti juventutis tum
in pietate, tum in optimis artibus
informatione loquantur: id tenui-
ter tantummodo, & præter propo-
siti sui scopum pertractant. Videre
etenim alios est, qui, dum vitæ,
quam Contemplativam vocant, sa-*

luberrimas præceptiones congerunt : de amicæ sibi solitudinis commodis, de asceticis pertinacis silentii bonis , de diversis Sacræ Psalmodiæ ritibus, de suavissimis rerum Cœlestium considerantiis, a capite, ad calcem usque volumina compleverunt. Alii autem, vix cursim bene attractis salutis propriæ negotiis, totos se ad extranea misericordiæ opera effuderunt. Quod si aliqui sunt, ut sunt bene multi, Idemque pientissimi, ac eruditissimi Scriptores, qui vitæ Activæ, & Contemplativæ conjunctionem , pro virili, elaborare conati sunt : pleraque tamen omnia, ad Status sui, quem profitentur rationem, atque adeo ab Instituto Nostro plurimum discrepantem posteritati consignarunt. Conatum itaque meum æqui bonique facite, qui lectissima

Pa-

Patrum Orthodoxorum, aliorumque magni nominis Authorum monita studiose collegi: ut non solum ea, quæ ad æternæ animarum Nostrarum salutis negotium faciunt, ad manus habeamus; sed & illa, quibus utilior juventutis institutio, circa Christiano dignas virtutes, circaque bonas litteras continetur, uno sub intuitu, paucis, dum e re fuit, exposita teneamus.



ADOL-

A D O L P H U S
à S. BENEDICTO,
*Clericorum Regularium Pauperum
Matris Dei Scholarum Piarum per Hun-
gariam Præpositus Provincialis.*

Cum Librum, cui titulus: Sacræ & Piæ Me-
ditationes in omnes Anni Dominicæ,
& Festa Hungariæ celebriora &c. per Ladis-
laum Deményi à Sancto Nicolao Instituti nostri
Sacerdotem elucubratum, duo ex nostris, quibus
commiſſum fuit, recognoverint, atquæ approbave-
rint: facta mibi ab Admodum Reverendo Patre
Paulino à Sancto Joseph Religionis Nostræ Præpo-
ſito Generali potestate, ut typis mandari possit, fa-
cultatem in Domino concedo. Pestini die 23. Ja-
nuarii Anno 1754.

(L.S.) ADOLPHUS à S. BE-
NEDICTO, Schola-
rum Piarum Præpositus
Provincialis. mpr.

NORBERTUS à Passione Domini,
Secretarius de Mandato. mpr.

DO.



DOMINICA I. ADVENTUS.

*De Signis extremum diem Judicii
præventuris.*

Mane.

PUNCTUM. I.

ERUNT signa in sole, & luna,
& stellis. *Luc. 21.* In sole
Iesum (a) Christum; in
luna Ecclesiam; in stellis
Clerum omnem cum secularem,
tum regularem intuere. Sol hic obscurabi-
tur: quia vultum misericordiae occulet horro-
re Judicii, & inexorabilis sententiae. Lu-
na non dabit lumen suum: quia transactis
meriti, & pœnitentiae temporibus, nihil de
luce clementiae mutuabitur à sole Justitiae.
Stellæ cadent de cœlo; sed non omnes. Ca-
dant vagæ, & erraticæ; permanebunt sta-
biles, & fixæ: quæ nempe ab ortu Con-

A

ver-

versionis sequuntur solem Justitiae, ad occasum usque dissolutionis. Ne in die iræ factis ignibus adnumerere; nunc dum tempus est veniae, solerter provide: ne rectæ institutionis lumen (*b*) quod in te est, tenebræ sint. Sed, quomodo (*c*) eris lux mundi, si neque tibi ipsi luces?

B. P. N.

PUNCTUM II. Arescentibus hominibus præ timore. *Ibidem.* Sicut timor serus, qui ex aperta jam extremi Judicii scena horrifica, frustra concipitur, desperationem generat: ita si tempestivus sit, securitatem parit sempiternam. Quem (*d*) amor Dei tenebre non potest; saltem teneat, & terreat timor Judicis, metus gehennæ, laquei mortis, vermis urens, ignis corrodens. Paveo (*e*) gehennam, paveo Judicis vulturn ipfis quoque tremendum Angelicis Potestatibus. Contremisco ab ira Potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a voce Archangeli, a severitate Judicii. *Quod sœpenumero deliqueris, certo scis; an veniam obtinueris? scire sinequis.* Præveni salubri metu timorem infru-

fructuosum. Time ad vocem Scripturæ; nam ad vocem horribilis tubæ sero nimis timebis.

PUNCTUM III. Nam virtutes cœlorum movebuntur. *Ibidem. Virtutes Cœlorum primo: sunt Potentiae Motrices, quæ solitum Cœlorum cursum, & motum perniciose confundent. Deinde: sunt planetæ cuncti, qui sinistris concursionibus sublunaria omnia horrifice permiscebunt. Tertio: sunt ipsi polorum cardines, qui suis excussi sedibus Cœlorum orbes convelgent, & in perniciem mundi pereuntis impellent. Hinc in aere monstrosi cometæ, portentosa fulgura, tonitrua, fulmina enascentur. Terra assiduis quatefacta motibus, graveolentia cadavera e sepulchris ejicit; montes æquabit vallibus, Oppida, & Urbes integras immanni hiatu absorbebit. Mare turbinibus, procellis, terræ motibus tumefactum late omnia inundabit. Ignis denique reliquum mundi ornatum decoquet: & quidquid fœdi, sordidi, gravedinosi in orbe terrarum repererit, secum ad inferos trahet.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et tunc videbunt Filium hominis. *Ibidem. In Majestate (f) visu-*
A 2 ri

ri sunt, quem in humilitate videre noluerunt: ut tanto districtius virtutem sentiant, qui cervicem cordis ad ejus præsentiam non inclinant. In illo (*g*) die, nihil est, quod respondeamus; ubi cœlum, & terra, aer, & aqua, & totus mundus stabit adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum: &, si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes. Quod (*b*) in die judicii futurum est omnibus; hoc die mortis in singulis impletur. In quo (*i*) statu- quemque inventiet suus novissimus dies; in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies. Qualis in die isto moritur, talis in die illo judicatur. *Verumtamen* quomodo in Domino morietur Religiosus, qui in vita pro Domino non laboravit? *B. P. N.*

PUNCTUM II. His autem fieri incipientibus. *Ibidem.* *Hæc, jam inde ab infelici illo temporis puncto, quo primum in peccatum lapsus es, incepisse reminiscere.* *Trudit dies diem,*

diem, mensis mensem, annus annum, & te ad reddendam justo Judici rationem vel invitum rapit. Dedit (k) Deus septem omnibus: corpus cum instrumentis, seu membris; animam cum ornamentis, id est potentissimis naturalibus; fidem cum Sacramentis; artes cum documentis; mundum cum elementis; tempus cum incrementis, & seipsum, quae requiret, cum tormentis. In quorum abusu, manifestum (l) perditionis indicium est, quum affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus: & nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit. Si sapis Divi Damasceni consilium statui tuo accommodissimum sequere: Sic vive, quasi quotidie moriturus; sic stude, quasi semper victurus.

(a) Ex S. Aug. (b) Lucae II. (c) Beat. Pater Noster Josephus Calasantius. (d) Hugo Lib. 3. de Anima. (e) S. Bernard. Serm. 16. in Cant. (f) S. Greg. (g) S. Chrysost. super Matth. (h) S. Hieronym. (i) S. Aug. (k) Ulricus Gviseus Abbas Campi Liliorum in M. S. vetustiss. (l) S. Greg. in Moral.

DOMINICA II. ADVENTUS.

*De Legatione Joannis Baptistæ
ad Christum.*

Mane.

PUNCTUM. I.

CUM audisset Joannes in vinculis opera Christi. Matth. 11. *Ubi? in vinculis?* *Quis?* *amicus Sponsi.* O JESU suavissime! quorsum Præcursori tuo carcer? catenæ? vincula? Ecce! misericordiæ tuæ ubertate hodie præventi, cœci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt; Joannes nihilominus in vinculis. Sed, (a) premit Deus suos in infumis: quia videt, quomodo remuneret in summis. *Tu serio cogita:* quid (b) illi passuri sunt, quos Deus reprobat; si hic sic cruciat, quos amat? timeat quem Deus corrigere non vult in seculo: quia eum supplicio destinavit post seculum. Singularis est ista Dei gratia, quod in hoc mundo nos puniat, ut parcat in altero. B. P. N.

PUN-

PUNCTUM II. Mittens duos de discipulis suis , ait illi : tu es , qui venturus es , an alium expectamus ? *Ibidem.* Non suo , sed discipulorum commodo interrogat : qui jam celebre illud oraculum ediderat : Ecce Agnus Dei , qui tollit peccatum mundi . *Bonus Magister omnem occasionem avide arripit , siqua ad discipulorum profectum facere videatur.* Nulla (c) ars hoc artificio sublimior invenitur . Quid enim majus , quam animis moderari ? quam adolescentiū mores fingere ? In cuius rei (d) diligenti exercitatione , Generalia Concilia , SS. PP. nec non Philosophi recte sentientes Reip. Christianæ reformationem confistere unanimi consensu affirmant . *Quo in munere , odibilius (e)* nihil est subtilitate ; ubi est sola subtilitas . Quid prodest in illis expendere dies suos , quæ nec domi , nec militiæ , nec in foro , nec in claustro , nec in Curia , nec in Ecclesia , nec alicubi profund , nisi duntaxat in scholis ?

PUNCTUM III. Et respondens JESUS , ait illis : Euntes renunciate Joanni , quæ audistis , & vidistis . *Ibidem.* Non à Di-

vina eloquendi vi, sed à rebus gestis testimonium accipit: ut vel hinc discas ab ipsa etiam ostentationis umbra abhorrere. Stultum est, unde Cœlestè regnum mereri potueras, inde vanæ laudis desiderio, aut tumidæ venditationis vitio, pœnas inferorum tibi ipsi comparare. Nec facile pravitatem inveneris, quæ tam fraudulenter in animum possit irrepere. Circa quod (f) animadvertisendum est, non solum rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in fôrdibus lutosis esse posse jactantiam; & eo periculosorem, quo sub specie servitutis Dei decipit. Occulta (g) quod agis, in quantum vales; quod si ex toto non vales, sit in animo occultandi voluntas; & non erit de ostentatione ulla temeritas.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Pauperes evangelizantur.
Ibidem. Pauperes (h) electi, superbi neglecti; nec fastus, nec alijs circa Christi discipulatum aliquem obtinet locum. Christus pauper, discipulos divites aspernatur. Pauper Mater, pauper Filius,
 in-

inops hospitium, his, qui in forma scho-
læ hujus in Ecclesia militant, præbent ef-
ficax documentum. *En quam grata est
Cælo pauperies ! ne te tædeat aut in Pau-
perum Matris Dei numero censeri ; aut pau-
perum erudiendorum curam suscipere.* *Quod
B. Patriarcha tuus olim de Cælo audiit,
quot diebus tibi dici existimat : Tibi derelictus
est pauper, Orphano tu eris adjutor.*

PUNCTUM II. Quid existis in desertum
videre? arundinem vento agitatam ? *Ibi..
dem.* Omnis homo (*i*) carnalis, va-
cuus in fide, levis in sensu, mollis in
passionibus arundo est. *Arundo est, qui
laude, præmio, pollicitatione capitur ; qui
minis, damnis, vituperiis a bene ceptis avo-
catur.* Arundines (*k*) sumus, nulla va-
lidioris naturæ radice firmati; & si levis
aspiraverit prosperioris auræ successus,
vago motu proximos verberamus. *Arun-
do est, qui nullum fructum boni operis parit.*
*Arundo est, qui virtutum medulla destitutus
vivit.* *Heu triste venterum ludibrium !*
Veluti pila ludit dæmon Religio-
so vano. *B. P. N.*

- (a) S. Gregorius L. 3. Moral. (b) S. August.
 (c) S. Chrysost. hom. 60. in Matth. (d) In Proem.
 Const. (e) Petr. Raban. (f) S. Aug. (g) S. Isid.
 de Conflictu Vitior. (h) S. Cyprianus Tract. de
 Nativ. Chr. (i) Auth. Imperf. (k) S. Ambr.

DOMINICA III. ADVENTUS.

De Legatione Iudeorum ad Baptizam.

Mane

PUNCTUM I.

Miserunt Iudei ad Joannem. *Ioan. 1.*
Victus frugalitas, vestium asperitas, *vitæ sanctitas hanc de Joanne opinionem*
excitarunt, ut promissus Patribus Messias
crederetur. Utinam ea sit religiose tuæ
conversationis integritas, pietas, & honestas,
ut nemo ex te mererito quærere possit: Tu
quis es? Sunt (a) quidam Religionis
imaginariæ nomine palliati, qui opinio-
nem virtutis pro virtute suscipiunt. Je-
junant, ut vultus sui pallorem perniciosis
laudibus vendant. Ad reprehendum
alios prompti; sed non patiuntur a qui-
buslibet vel leviter reprehendi. Ad fa-
ciam publicam patientiam fingunt & in-
ani-

animo iracundiæ virus abscondunt: ad nocendum parati, quum nocendi tempus invenerint. Attende (*b*) diligenter, quid diligas? quid metuas? an gaudeas, vel contristeris? & sub habitu Religio-nis animum secularem; & sub pennis con-versionis invenies cor perversum.

PUNCTUM II. Ut interrogarent eum:
Tu quis es? *Ibidem.* Si ignoras te, o miserrime homuncio! age, summa rerum capita percurramus. Tu quis es? Si substantiam spectes, coalescis ex immortali Dei vivi imagine, & ex fœculenta, imbecilla, morbis, doloribus, ærumnis mortique obnoxia luti compage. Si ad quantitatem attendas, es unus e tot millibus mortalium quatuor circiter cubitorum homulus. Si qualitatem consideres, es corpore miser, animo impius, appetitu sensitivo, & concupiscentia brutis fere pecudibus deterior. Ubi, & quando es? es in terræ palmo, medius inter Cælos, & inferos: heri natus, hodie vivens, cras moriturus. Hunc in modum percurre singula. Beatus eris, si te perfecte cognoveris.

PUNCTUM III. Tu quis es? *Ibidem.* Tu quis

quis es ? *Miles Christi.* Delicatus miles es , si putas te sine pugna posse vincere , sine certamine triumphare . *S. Chrysost.* Tu quis es ? *Religiosus.* Ille est vere **Religiosus**, qui vere dicit : Deus meus , & omnia . *B. P. N.* Tu quis es ? *Magister.* Multi sunt , qui vocari volunt Rabbi , & non esse : Nomen appetunt , & officium negligunt , *S. Chrysost.* Tu quis es ? *Confessarius* , *Concionator* , *Catechista* . Castiga corpus tuum , & in servitutem redige , ne cum aliis prædicaveris , ipse reprobus efficiaris *I. ad Cor. 9.* Tu quis es ? *Prælatus.* Pascite , qui in vobis est gregem Dei ; providentes non coacte , sed spontanee ; neque ut dominantes in Cleris , sed forma facti gregis ex animo . *I. Petri 5. v. 2.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et confessus est , & non negavit , & confessus est . *Ibidem.* Terna hæc Circumlocutio , triplicem veritatem designat . Veritatem cordis , cui error , & falsitas ; veritatem oris , cui mendacium ; ve-
ri-

ritatem operis, cui peccatum adversatur.
Has omnes magni aestima in Divo Joanne,
& imitare. Qui impie vivit, nihil minus
^(c) *quam veritatem affecatus est.* Qui
 veritati studet ^(d) abjiciat inimicitias, &
 voluptates, quæ animum sibi vinciunt:
 præferat vera falsis; æterna brevibus;
 utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit,
 nisi quod juste, quod pie fieri videoas;
 nihil auditu suave, nisi quod animam me-
 liorem, teque reddat. Tantus ^(e) in te
 sit veritatis amor, ut, quidquid dixeris,
 juratum putes. *S. Ambrosius.*

PUNCTUM II. Non sum ego Christus.
Ibidem. Admirare insignem Præcursoris
Domini humilitatem, qua elegit solide ^(f)
subsistere in se; quam humana opinione
rapi inaniter supra se. Multi videntur
^(g) *in conspectu hominum humiles esse,*
 sed eorum humilitas a Deo non respici-
 tur. Si veraciter humiles essent, ab ho-
 minibus non se laudari vellent. Sive ^(h)
 orationem, sive jejunium, sive miseri-
 cordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid
 bonorum absque humilitate congreges;
 statim cuncta diffluunt, cuncta depereunt.

Non

Non est humilis Religiosus, qui
dreditur, & non optat sperni.

B. P. N.

- (a) S. Prosp. (b) S. Ber. (c) ex S. August.
 (d) Lactant. L. 5. (e) S. Ambr. ad Cel. (f) S.
 Greg. (g) S. Aug. Serim. 2. de Assumt. (h) S.
 Chrysost. homil. 15. in Matth.

NB. Si Renov. Vot. fieri debeat in Nativitate Domini, assumantur Meditationes novem dierum ante Pascha; & Vice Dominicæ Palmarum ponatur Dominica quarta Adventus; loco autem Dominicæ Resurrectionis, Festum Nativitatis Domini.

DOMINICA IV. ADVENTUS. *De Baptismo Penitentiae.*

Mane.

PUNCTUM I.

FACTUM est verbum Domini super Joannem Zachariæ Filium in deserto. LUcae 3. Quis? qualisve sit spiritus? cuius verba (a) cordis aure excipis: ipsa suggestio declarabit. Spiritus carnalis semper mollia; Spiritus mundi semper vana; Spiritus malitiæ sem-

semper impia, illicita, peccaminosa insusurrat;
Per solam fugam, omnes nusquam viceris. In
mundi tumultu ex frequentia hominum peri-
clitaberis; in solitudine temptationum aculeis
cruciaberis. Donec (b) in carne est ani-
ma, inter spinas versatur, ut lilyum. O
tener & delicate flos! o candens lilyum!
hostes, & subversores sunt tecum: vide,
quomodo caute ambules inter spinas.
Plenus est mundus spinis. In terra sunt,
in aere sunt, in aquis sunt, in carne tua
sunt. Coronari (c) non poteris, nisi
viceris; nec vincere, nisi certaveris;
nec certare, nisi tentatores habueris. S.
August.

PUNCTUM II. Et venit in omnem Re-
 gionem Jordanis prædicans baptismum
 pœnitentiæ. *Ibidem. Utinam (d) tam ci-*
cito convertatur peccator ad pœnitentiam, quam
cito Dominus paratus est mutare præfinitam
sententiam! In te (e) est, ut evadas. Vult
rogari Deus, vult de se sperari, vult si-
bi supplicari. Homo es, & vis rogari,
ut ignoscas; & putas Deum non rogan-
ti tibi ignoscere; Sed nihil hic periculosius
est, quam in extremum diem promissa pœni-
ten-

tendi securitas. Quomodo (f) sub unius horæ articulo, revocari posse existimas omnia scelera: cuius prava desideria, verba, & opera per totum mundum late sparsa sunt? Vix (g) ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus. S. Hieron. apud Hadrian. Pontif.

PUNCTUM III. Parate viam Domino. Ibid. Si ab amicitia Christi per viam iniqutatis exerrasti, per viam pœnitentiae, dum tempus est, revertere. Peccasti? (h) inveterasti mentem tuam? ne desperes, ne recidas; sed renova ipsam resipiscencia, lachrymis, & confessione. Melius est coram uno aliquantum ruboris tolerare, quam in die Judicii coram Deo, Angelis, & omnibus prorsus hominibus. Cur erubescis Sacerdoti, magno tuo commodo, nunc aperire, quod æterno tuo detrimento cognoscet ille in die novissimo? Elige (i) quod vis: si non confessus taces; inconfessus damnaberis. Absque (k) confessione, justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Erunt prava in directa.

Ibi-

Ibidem. Prava (l) directa fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiae regulam diriguntur. Novam (m) vitam inchoare non potest, quem veteris non pœnitet. Est autem (n) pœnitere, anteacta deflere, & deflenda non committere. Apud (o) Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris: non tam abstinentia ciborum, quam vitiorum. Pœnitentia (p) non tempore pensatur, sed profunditate luctus, & lachrymarum. Clerici (q) peccantes difficile pœnitentiam agunt. S. Chrysost.

PUNCTUM II. Et aspera in vias planas.

Ibidem. Peccata venialia viam religiosæ perfectionis exasperant, immo & impediunt. Nonnunquam (r) in parvis deterius, quam in majori peccatur. Major culpa, quo citius cognoscitur, eo celerius emendatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo securius in usu retinetur. Quotidiana (s) sunt, quæ dico: sed tamen peccata sunt; & non sunt levia quia plura. Quia vero quotidiana, & plurima sunt, timenda est ruina

multitudinis. Non vivit religiose,
qui venialia non curat. *B. P. N.*

(a) Ex S. Greg. (b) S. Bernard. (c) S. Aug.
super Psal. 60. (d) Ex S. Hieronym. (e) S. Ambr.
L. 2. de Pœnit. (f) Ex S. Bernard. (g) S. Hieron.
(h) S. Chrysostom. homil. 20. in Epist. ad Roman.
(i) S. August. super Psal. (k) S. Gregor. L. 8.
Moral. (l) S. Greg. (m) S. August. (n) Glossa.
(o) S. Hieronym. (p) S. Isidor. (q) S. Chrysost.
super Matth. (r) S. Greg. homil. 52. (s) S. Aug.

XXIII. Dec.

DIE DECIMA,
ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

De Beneficio Creationis.

Mane.

PUNCTUM I.

AD imaginem Dei factus est homo.
Gen. 9. Quid (a) majus tibi face-
re potuit, quam ut ad similitudinem suam
te conderet factor tuus? *Mira est Cœlo-*
rum, & Syderum pulchritudo, decora orbis
terrarum species, inæstimabile metallorum, &
gemmarum pretium, inexplicabilis animalium
omnis generis varietas: hæc tamen univer-
sa

sa nihil sunt, si cum anima tua conferantur. Vide (*b*) homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me? servio tibi, quia factus sum propter te: ut servias illi, qui fecit & me, & te: Me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium, redde officium: si accipis benignitatem, redde charitatem.

PUNCTUM II. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. *Psal. 8.* Nobilem (*c*) hospitem habes, o caro! nobilem valde, & tota salus tua pendet de ipsius salute. Da honorem hospiti tanto. Patere, ut nunc anima pro te laboret, magis autem etiam collabora ei: quoniam si compateris, & correagnabis. *Attende animæ tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem inquinare perhorresce.* Sicut (*d*) Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Omnis anima, aut Christi sponsa, aut diaboli adultera est. *S. August.*

PUNCTUM III. Deus omnes homines vult salvos fieri. 1. *ad Timoth.* 2. *v. 4.*

O quam dulcis, quam bonus est adversum me Creator meus! Fecit (e) me cum non eram, redemit, cum perieram. Non enim eram, & de nihilo me fecit non lapidem, non arborem, non aliud de animalibus, sed hominem voluit me esse: dedit mihi vivere, sentire, discernere. Reduxit me de exilio, redemit me de servitio. Quando (f) ignorabam, me instruxit: quando peccabam, me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit. Et quorsum hæc omnia? certe non alium ob finem, quam ut vitam æternam adipiscar. O bonitas! o amor! o beneficentia Creatoris mei!

Die eadem Vespri.

De Lapsu primi hominis.

PUNCTUM I.

Homo cum in honore esset, non intellexit. *Psal. 48. In quo honore?* (g) habitabat in Paradiso omni voluptate pleno: nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat: rebus fere omnibus ac præprimis ani-

man-

mantibus regia potestate imperabat : Angelorum consuetudine, & Dei amicitia fruebatur. Sed unico peccati actu omnem hanc gloriam in pejus commutavit. Heu tristis, & lachrymosa mutatio ! momento temporis, innocentiae (b) candorem, immortalitatis stolam, carnis incorruptibilitatem, animae puritatem, contemplationis dulcedinem, Spiritus libertatem, Angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit, & insurgente carne adversus spiritum, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est eis. Psal. 48.

PUNCTUM II. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors. *ad Rom. 5. v. 12.* O durus, (i) nec unquam satis deplorandus casus ! Quid primus homo per peccatum perdidit, & quid invenit ? Perdidit beatitudinem, & invenit mortem. Venit a patria in exilium, ab immortalitate ad corruptionem ; a statu gratiae ad pœnam gehennæ, factus ex Cive Cœli cohæres diaboli. *Indignaris prævaricationi primi hominis ? indignare mecum, tibi ipsi, qui saepius, & ipso dæmone fortasse gra-*

vius deliquisti. Diabolus (*k*) nulla præcedente peccati vindicta peccavit, ego visa illius pœna ad peccatum properavi; ille in innocentia constitutus, ego vero innocentiae restitutus; ille perfidit in malitia Deo reprobante, ego perfidi Deo revocante; ille obduratur ad punientem, ego ad blandientem; ille contra non requirentem se, ego contra morientem prome. Ecce! cujus imaginem horrebam, in multis aspicio me horribiliorem. S. Ansel.

(*a*) S. Bern. (*b*) Hugo. (*c*) S. Bern. (*d*) S. Aug. (*e*) Idem. (*f*) S. Bern. (*g*) Ex eodem. (*h*) S. Laurent. Just. (*i*) Idem. (*k*) S. Ansel.

XXIV. Dec.

DIE NONA,
ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

De Incarnatione Filii Dei.

Mane.

PUNCTUM I.

VErbum caro factum est. *Ioann.* 1. Quanti (*a*) te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est agnosce: ut apparet

reat tibi benignitas ejus in humanitate. Quanto minorem se fecit in humilitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Nulla (*b*) causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos. Tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Venit ergo de Cœlo magnus Medicus, quia per totum ubique jacebat ægrotus. Genus humanum totum perierat, ex quo peccavit unus, in quo totum erat. Ideo venit unus sine peccato, qui salvos faceret omnes a peccato. Ama amorem illius, qui amore tui descendit in uterum Virginis.

PUNCTUM II. Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. *Isaiae* 9. v. 6. *Natus est nobis in tempore, qui sibi erat in æternitate.* Datus (*c*) ex Divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui nesciret exordium; datus, qui sentiret occasum. Natus, qui moreretur; datus, ex quo vita nasceretur. Licet (*d*) Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur, qui Christi Domini Nativitate sacratus est: in quo me-

rito exultare convenit, & lætari: quoniam in eo & diabolus jus perdidit, & salutem mundus accepit. Sed (e) non consolatur Christi infantia garrulos; non consolantur Christi lachrymæ cachinantes; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis; non consolatur stabulum, & præsepe amantes primas Cathedras in Synagogis.

PUNCTUM III. In propria venit, & sui eum non receperunt. *Ioan. i.* Litavit (f) Christus semetipsum pro inimicis: pro his, qui se oderant, pro aversis a se. Id quod neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus faceret quispiam. Hoc fecit pro servis Dominus; pro mortalibus immortalis; pro temporibus sempiternus; pro inimicis denique Filius Dei. Nos autem illum (g) indigentem cibo, & hospitio, miseri aspernamur; infirmum, & nudum nec visitare dignamur. O quanta hæc ira plectenda sunt, quibus cruciatibus obnoxia?

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei

Dei fieri. *Ibidem.* Ecce ! qualem dilectionem dedit nobis Pater , ut filii Dei vocemur , & simus. Ad comparandam (b) filiorum Dei hereditatem non satis est divino semel imbuī Spiritu , nisi ejus ducatu perpetuo regaris. Qui sine intermissione Spiritu Dei aguntur , ii sunt filii Dei. Noli ergo (i) degeneri conversatione a dignitate filiorum Dei excidere. Cum caro solicitat , dicit illi , filius Dei sum : ad majora natus sum , quam ut me carnis mancipium efficiam. Cum divitias , & abundantiam rerum omnium mundus ostentat , responde illi : filius Dei sum : indignum est , ut cœlestibus æternisque divitiis terrenas fugacesque opes anteponam. Cum te dæmon honorum ambitu impugnat , responde : filius Dei sum : absit , ut ex filio Dei efficiam me filium diaboli.

PUNCTUM II. Qui ex Deo nati sunt. *Ibidem.* Qui (k) habent charitatem ex Deo nati sunt. Dilectio sola discernit inter filios Dei , & filios diaboli. Signent se omnes signo Crucis , respondeant omnes Amen ; baptizentur omnes , intrent Ecclesiæ , non discernuntur filii Dei a fi-

liis diaboli nisi charitate. Magnum indicium, magna discretio, quidquid vis habere, hoc solum nisi habeas, nihil tibi prodest; alia si non habeas, hoc habe, & implesti legem. Hæc (*i*) autem regula veræ dilectionis a Deo constituta est: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, Deum vero ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: ut omnes cogitationes, omnem vitam, omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipsa, quæ confers.

(*a*) S. Bern. (*b*) S. Aug. super Joan. (*c*) Euseb. Emiss. (*d*) Cass. (*e*) S. Bern. in Serm. (*f*) S. Chrysost. homil. 7. (*g*) Idem alibi. (*h*) Ex eodem. (*i*) Idem. (*k*) S. Aug. tract. 5. in Ep. S. Joan. (*l*) Idem L. I. de Doctr. Christ. C. 22.

XXV. Dec.

DIE OCTAVA,
ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

In Nativitate Domini.

De Religiosa Paupertate.

Mane.

PUNCTUM I.

Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit. *Lucæ 2.* *Quis* (*a*)

(a) non miretur immensam Dei, erga ingratissimum genus humanum charitatem? Ubi
 (b) aula regia? ubi thronus? ubi Curiæ regalis frequentia? nunquid aula est stabulum? thronus præsepium? & totius Curiæ frequentia Joseph, & Maria? Nascitur (c) Verbum infans: & agnoscitur longitudo brevis; latitudo angusta; altitudo subdita; profunditas plana. Agnoscitur lux non lucens; aqua sitiens, panis esuriens. *Agnoscitur humana carne velata Divinitas; vilibus pannis circumligata Omnipotentis potestas.* Vide, quam pauper, quam egenus pro te factus est, per quem facta sunt omnia? & quorsum hæc? ut omnis hic vere pauper effectus pro Christo, dives sit in Cælis cum Christo.

PUNCTUM II. Et reclinavit eum in præsepio. *Ibidem.* Pauper (d) in cella, dives in conscientia, securius dormit in terra, quam auro dives in purpura. Sed, proh dolor! (e) multi de paupertatis solo nomine gratulantur. Sed quo pacto? ut nihil eis desit. Dicunt se amicos paupertatis; sed paupertatis sodales fugiunt: famem, sitim, lecti duritiem, cibi vilitatem,

tem , vestium grossitiem , &c. Nemo igitur nostrum aliquid proprium habere audeat , sed etiam optet ut quæquam erunt vilissima , ex iis , quæ domi sunt , ei tribuantur. *Const. P. 2. c. 5.*

PUNCTUM III. Quia non erat ei locus in diversorio. *Ibidem.* Vulpes (*f*) foveas habent , & volucres Cœli nidos : Filius autem hominis non habet , ubi caput reclinet. *Quid hic dices delicate pœnitens , cui Religiosa domus quantumvis necessariis rebus bene instructa carcer est ? cui cellæ solitudo tormentum est ? tune unus es , qui ignoras quod Religiosum (*g*) extra Cœnobium ducat Satan : ut sic per plateas vagantem libidine inficiat , curiositate sauciet , ambitione inflet , curis sœcularibus disturbet ? Christus pauper , non in foro , non in palatio , non in diversorio , sed in præsepio , & in vili stabulo invenitur.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Natus est vobis hodie Salvator. *Ibidem.* O quam amica Christo est paupertas ! Christus pauper , pauperibus annunciatur pastoribus. Quam (*b*) multi nobiles secundum carnem , quam multi

po-

potentes, multi sapientes, hora illa in stratis mollibus quiescebant? & nemo illorum dignus habitus est, novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes. *Si sic honoravit coactam Pastorum egestatem, quanto magis honorabit voluntariam, veram, & Evangelicam paupertatem?* quæ, ut perfecta sit, debet (*i*) omnia propter Deum sponte dimittere; nihil præter solam necessitatem possidere: Ipsa etiam necessitate quandoque propter Deum carere. *Vide, quae in his habeas?*

PUNCTUM II. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Ibidem.* *Vera pax (k) cordi, & exultatio animæ est: cum parvo contentus fueris; mundum habere sub pedibus, & omnem ejus potentiam, gloriam, delicias contemnere.* Quid (*l*) tali paupertate melius? quid securius? quid jucundius? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi, hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Et quia bonum cœleste præstolatur possidere in cœlo, ideo nihil habet, quod amittere pos-

possit in terra. Honesta (*m*) res est læta paupertas: illa vero paupertas non est, quæ læta non est.

(*a*) Ex S. Bern. super Cant. (*b*) Idem. (*c*) Idem. (*d*) V. Beda. (*e*) S. Vincent. (*f*) Matth. 8. (*g*) Thom. a Villa Nova Conc. 2. de Dom. I, Quad. (*h*) S. Bern. (*i*) E. Albert. M. (*k*) Ex S. Hieron. L. 8. contra Jovin. (*l*) S. Laurent. Just. (*m*) Seneca.

XXVI. Dec.

DIE SEPTIMA,

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

In FESTO SANCTI STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

De Obedientia.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas. *Matth. 23.* *Si omnis potestas a Deo est, omnes Superiores a Deo mitti necesse est: quibus a Domino dicitur:* Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. *Lucæ 10.* Prælati (*a*) omnes magna reverentia tractandi sunt: nec eorum mores, aut vita taxanda. Ipse Deus injuriam sibi irrogatam deputat, quam in Prælatos, qui Dei

locum tenent, factam considerat. **G**e-nus (*b*) ergo maximæ stultiæ videbitur, si quis in Congregatione nostra voluntatem propriam facere præsumperit; sed omnes unanimi consensu sinceram obedientiam complectantur. Quæ sola (teste Divo Gregorio) virtutes ceteras menti inserit, atque insertas custodit.

PUNCTUM II. Et ex eis crucifigetis. *Ibidem.* Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis. *ad Gal. 5.* *Quot solennibus votis te Deo obstrinxisti, tot trahalibus clavis te Crucis Christi affixisti.* Sicut ergo (*c*) qui crucifixus est, non jam pro animi sui motu, membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras, ac desideria nostra, non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat ad præsens; sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Eo habitu, ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit iile suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere: ut universas voluntates, ac desideria habeamus mor-ti-

tificationi ejus affixa, qui factus est obediens usque ad mortem. Nunquam (*d*) desperat de finali gratia, qui moritur in obedientia.

PUNCTUM III. Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. *Ibidem.* Quoties aut importunis precibus, aut ex fraude, & mendacio consutis rationibus, aut emendicato majorum patrocinio, aut alio quopiam malo dolo obedientiae jugum excussisti; toties cum cervicosa *Jerusalem* Deo obtemperare renuisti. Nunc saltem disce (*e*) homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas, Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te proponis Authori? (*f*) Ipse te Prælato, propter Deum, & propter Regnum Cœlorum tradidisti. Jam non es tuus, sed ejus; cui te vendidisti. Ille Dominus voluntatis tuæ est. Si hanc Prælato subtrahis, furtum facis: quoniam rem alienam tibi approprias, & usurpas.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Ecce relinquetur vobis
do-

domus vestra deserta. *Ibidem.* Et quid aliud manet domum animæ inobedientis, quam virtutum omnium, quam gratiarum Cœlestium, quam meritorum universalis quædam vastitas, & desolatio? Si (*g*) jejunaveris omnibus diebus vitæ tuæ, si diebus, ac noctibus orationem feceris, si in facco fueris, & cinere, si quodcunque præceptum est in lege Dei, & Ecclesiæ, feceris; obediens (*b*) autem non fueris; omnes virtutes perdidisti. *S. Aug.* *Excusso semel obedientiæ fræno, jam ab omni scelere, vix te gehennæ metus inhibet, vix pudor cohabet, vix frænat ratio, vix disciplina coerget.* Nullo alio (*i*) vitio dæmon animæ Religiosæ ruinam facilius infert, quam astuta obedientiæ meritum declinandi calliditate. Non superiorem, sed se fallit, qui pronolle, dicit se non posse. *B.P.N.*

PUNCTUM II. Dico enim vobis, non me videbitis. *Ibidem.* Heu pœnam pœnarum omnium acerbissimam, repellî a beata visione J̄esu Christi! hanc tamen neglectum obedientiæ votum post se trahit. (*k*) Intolerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat?

*bil tamen tale dicturus es, si mille componas
gehennas, quale est abjici a facie JESU Christi.* Considera (l) horridam, quam laturus est sententiam : Ego vos formavi, & adhæsisti alteri ; ego terram, mare, & omnia propter vos creavi, & vos in mei contumeliam abusi estis ; quæ (m) ergo ultiro elegistis, ea nunc accipite. Contempsisti lucem, sint ergo vobis tenebræ. Amastis mortem, abite in perditionem. Secuti estis diabolum, ite cum eo in ignem æternum.

(a) Ex Epist. Nicolai I. P. ad Mich. Imperat.
(b) Conſt. p. 2. c. 2. (c) Cassianus. (d) B. Cath. Bonon. (e) S. Bern. Serm. super Missus est. (f) Idem. (g) S. Aug. (b) Idem tract. II. de obed. & humil. (i) Ex Cassiano. (k) Ex S. Chryſol. (l) S. Hippolyt. M. (m) S. Eligius.

XXVII. Dec.

DIE SEXTA,
ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.
In Festo S. Joannis Apostoli.

De Castitate.

Mane.

PUNCTUM I.

COnversus Petrus vidit illum Discipu-
lum quem diligebat JESUS. Joan. 21.
Joan-

Joannes (*a*) inde a puero, tantam curam puritatis habuit, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit. *Hinc peculiaris ille amor, hinc singularis dilectio emanavit.* Cum enim Castitatis cultores filii Dei muncupentur; cum (*b*) magnum quid, præclarumque sit Castitas, quæ hominem Angelis simillimum efficit; non potest Virginis Filio, & Sponso Virginum non esse quam acceptissima. Differunt quidem (*c*) inter se homo pudicus, & Angelus; sed felicitate, non virtute. Et, si illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur: quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.

PUNCTUM II. Qui recubuit in Cœna super pectus ejus. *Ibidem.* O quam (*d*) bene quiescebat, qui super pectus Christi recumbebat! O Beate Apostole! utinam merear illius dulcissimos pedes disuaviari, & lacrymis rigare cum Magdalena, in cuius sacro pectore, pro intemeratae Castitatis jure, tam suaviter quievisti! Statim, ut Filius Dei (*e*) ingressus est in terram, novam

sibi Familiam instituit: ut qui ab Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos in terris. Castitas (*f*) Angelum de homine facit. Etsi ergo (*g*) dum in carne mortali Religiosi permanent, præclarum sit castitatem, ad Angelorum imitationem aspectū, incessu, & totius corporis forma colere, scito tamen turpissimum esse hanc cœlestem virtutem aliquo modo maculare Const. p. 2.

PUNCTUM III. Sic eum volo manere.
Ibidem. *Jam continentiam professus es, jam te Domino, quantuscunque es, devovisti: sic igitur ille vult te manere, sicut ipse elegisti.* Sic manebis, *si jugiter curaveris:* ut sit in corde sancta meditatio, (*b*) in animo devotio, in ore confessio, in oculis pia lectio, in opere carnis mortificatio, ubique devota converratio. *Ecce!* proponit (*i*) Agonotheta præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium: Ostendit purissimum vultus sui fontem, & clamat: Si quis sit, veniat ad me, & bibat. Qui (*k*) nondum desiderat Dei faciem, timeat vel ignem. Supplicia terreant, quem

quem præmia non invitant. Utile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quid ad te. *Ibidem.* *Cave alienæ vitæ curiosus inspector esse.* Quid ad te : *Utrum hujus, aut illius vita mun-
da, integraque sit ?* sæpe fit : ut qui fra-
ternam verecundiam in suspicionem trahunt,
& curiose examinant, justo Dei judicio,
in ea ipsa crimina prolabantur. *Suspiciosi,*
& *curiosi homines* (*l*) dum alienos er-
rores volunt reprehendere, demonstrant
suos. Tam diu ignorat homo peccata
sua, quæ debuerat flere, quam diu alie-
na vitia exquirit curiose. Sed cum ho-
mo ad se ipsum revertitur, & se se be-
ne considerat, non exquirit, quod in
aliis reprehendat : quia in semetipso mul-
ta deprehendit, quæ lugeat. *Tanto er-
go* (*m*) *minus debes aliena corda repreben-
dere, quanto magis intelligis, non posse vi-
su tuo alienæ cogitationis tenebras pervide-
ri.* Religiosus, qui aliena curat,
sibi deest. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Tu me sequere. *Ibidem.* Qui sequitur *Jeſum* vitæ munditia in hac mortalitate; sequetur *Agnum immaculatum*, quocunque ierit, in beata æternitate. Quo putamus (*n*) hunc Agnum ire? in quos saltus, & prata? ubi credo sunt grama gaudia: non gaudia seculi hujus vana, infaniæ mendaces: nec gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non Virginibus erunt; sed a ceterorum non Virginum gaudiis distincta. Gaudium Virginis Christi de Christo, in Christo, cum Christo, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. *Verum tamen nemo* (*o*) viribus propriis custodit bonum virginale; nisi Deus ipse juvet, qui illud dedit. Deus autem Charitas est. Custos ergo Virginitatis charitas; locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit super humilem, & quietum, & trementem verba sua, requiescere spiritum suum.

(*a*) Euthym. in C. 23. Joan. (*b*) Ex S. Basili. (*c*) S. Bern. (*d*) Ex Eodem. (*e*) S. Hieron. (*f*) S. Bern. (*g*) Const. p. 2. c. 3. (*h*) Ulricus Gviseus in MS. vetust. (*i*) S. Hier. L. 1. contra Jo-

Jovin. (k) S. Aug. in ps. 49. (l) S. Bern. de modo bene viven. c. 54. (m) Ex S. Greg. (n) S. Aug. de Virgin. c. 27. (o) Idem alibi.

XXVIII. Dec.

DIE QUINTA

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

In Festo SS. Innocentium.

Fuga in Ægyptum.

Mane.

PUNCTUM I.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Matth. 2. Quantum (a) putatis, desiderant Cives cœlestes instaurari Civitatis suæ ruinas? quomodo discurrunt medii inter nos, & Deum, fidelissime portantes ad eum gemitus nostros; & ipsius nobis gratiam devotissime reportantes? festinemus, obsecro, festinemus: tota nos multitudo Curiæ cœlestis expectat. Exultare Angelos fecimus, quando conversi sumus ad pœnitentiam: proficiamus, & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. *Væ* (b) nobis, si forte peccatis, & negligenter nostris provocati Sancti Angeli, indi-

gnos nos judicaverint præsentia sua , & vi-sitatione. Cum (c) tamen fores obdu-xeris , & tenebras feceris , non occur-rat tibi dicere : Solus sum. Deus , & Angelus intus est : quibus , quid opus est lumine , ut videant ?

PUNCTUM II. *Fuge in Ægyptum. Ibi-dem. Non (d) sit tibi verecundum fuge-re , si integratatis palmam desideras obtine-re. Ista fuga via salutis est. Fugite (d) de medio Babylonis , & salvate animas vestras. Convolute ad Urbes refugii : ubi possitis & de præteritis agere pœni-tentiam , & in præsenti obtainere gra-tiam , & futuram gloriam fiducialiter præstolari. Si sapis , si habes cor , si tecum est lumen oculorum tuorum ; de-fine jam ea sequi , quæ & affequi mife-rum est. An non ea satius cum hono-re spernis , quam cum dolore perdis ? An non prudentius ea Christi cedis amo-ri , quam morti ?*

PUNCTUM III. *Et esto ibi , usquedum dicam tibi. Ibidem. H abes hic palmare exemplum , quo discas voluntatem tuam Di-vinæ conformare voluntati. Sed quæris ? quæ*

quæ sit voluntas Dei? paucis accipe. Voluntas (*e*) Dei est, quam Christus & docuit, & fecit: humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina. Voluntas Dei est injuriam facere non nosse, & factam tolerare posse; cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, Christo nihil præponere, Charitati ejus inseparabiliter adhærere. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. *I. ad Theff. 4.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. *Ibidem. Et in ipsum Filium Dei persecutionis procella irruit; tu tamen liber esse vis ab omni tribulatione?* Filius Dei (*f*) passus est, ut nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, ut esse filius Dei perseveret? si odio seculi laboramus; odium seculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus; graviora expertus est mundi Fa-

ctor , & Dominus. Cur ergo se (g) membrum super verticem extollit ? Recusas esse in corpore , si non vis odium mundi sustinere cum capite. Necesse est , ut mundus nos oderit , quos certat nolle , quod diligit.

PUNCTUM II. Qui consurgens accepit Puerum , & Matrem ejus nocte. *Ibidem.* Sicut (h) natus est Christus , ut repararet hominem : sic , ut fugaces revocaret , aufugit. Et , si , ut revocet errantem ovem in montibus , ipse errat : quomodo ipse non fugiet , ut errantes populos reducat ? Deus quando fugit hominem , Sacramenti est , non pavoris. Fugit , (i) ut fugas nostras in persecutionibus temperaret. *Forti , omnis terra , & nulla terra patria est.* Migramus (k) hinc , somnia projiciamus , umbras prætereamus. Alios occupatos teneant , jaçtent , ludificantur invidia , & tempus , & fortuna. Valeant opes , & splendores : vilis hæc , & despicibilis gloriola , ac magnæ hujus Scenæ ludicra , nugæque theoricæ. Nos præ omnibus Deum habere optemus.

(a) S. Bern. Serm. 2. in Vig. Nat. (b) Ex Eodem. (c) Epictet. (d) Ex S. Aug. (e) S. Cypr. tract. de orat. Dom. (f) Idem L. 4. Ep. 6. de Exhort. Martyrii. (g) S. Aug. (h) S. Chrysostom. Serm. 150. (i) Idem Serm. 115. (k) Nazian. Ep. 57. alias 63.

XXIX. Dec.

DIE QUARTA,

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

S. Thomæ Episcopi. Vide Dominicam II. post Pascha.

NB. Si Nativitas Christi inciderit in diem Dominicum, sequens Meditatio ponatur feria infra Octavam non impedita.

XXX. Dec.

DIE TERTIA,

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Prophetia Simeonis.

Mane.

PUNCTUM I.

ERAT Joseph, & Maria Mater IESU mirantes super his, quæ dicebantur de illo. *Luc. 2. Non est, cur mirere Deijaram super his, quæ dicebantur de Christo, mirari potuisse. Servatorem Mundi*

po-

positum in ruinam multorum esse, *Matris misericordiae de tua salute solicitae*, res mira *admodum videbatur*. Quis (*a*) misericordiae tuae, o Benedicta! longitudinem, profunditatem, sublimitatem, queat investigare? longitudo ejus usque ad novissimum diem, invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tua misericordia plena sit omnis terra. Sublimitas ejus, Civitatis supernae invenit restorationem; & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemtionem. Mariæ, nec facultas, nec voluntas dandi dona hominibus deesse potest.

PUNCTUM II. Et tuam ipsius animam pertransfabit gladius. *Ibidem*. Nec (*b*) lingua poterit loqui, nec mens cogitare, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Tunc solvisti Virgo cum usura, quod in partu non habuisti a natura. Dolorem, pariendo Filium non fensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. Tantus (*c*) fuit dolor iste Virginis, ut si in omnes crea-

tu-

turas divideretur , omnes subito interirent. Quidquid (*d*) crudelitatis inflatum est corporibus Martyrum , leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ Passionis , o Maria ! Stabat (*e*) ante crucem Mater , & fugientibus viris stabat intrepida. Inter tot (*f*) pressuras Filii sui constanter stabat. Non se laniabat in tanta amaritudine , non maledicebat , nec vindictam hostium a Deo petebat; sed stabat patientissima, lachrymis plena , doloribus immersa.

PUNCTUM III. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Ibidem.* *V*erisimile est , (*g*) tenerrimo compassionis affectu meruisse Matrem Virginem : ut ex eo tempore , omnes secretas hominum cogitationes pervideret : ut clientibus suis veram cordis compunctionem impetraret. Ecce (*b*) Domina ! Filius prodigus suspirat , clamat , & appellat Matrem ; non immemor , quoties eum protexeris , & excusaveris apud Patrem. Si pro illo innocentे Filio tuo crucifixo , pertransivit gladius animam tuam ; quomodo super mortuis in peccato pupillis tuis , te con-

ti-

tinere , quomodo Maternis fletibus , & lachrymis , o Domina ! poteris temperare ?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et , ut perfecerunt omnia secundum legem Domini , reversi sunt in Galilæam. *Ibidem.* Non prius reversi , quam omnem apicem legis perfecerunt. Tota (*i*) vita Christiani sanctum est desiderium proficiendi. Considerare (*k*) pudet , quantus sit fervor in seculo : qua cura singula quæque studia hominum quotidie ad perfectionem nitantur. Divitiarum amor insatiabilis expleri non potest : celerem habituræ res finem , sine fine quæruntur. Nos cœlestes divitias pigra quadam dissimulatione negligimus , spirituales opes aut ne attingimus quidem , aut si leviter degustaverimus , continuo nos putamus esse satiatos.

PUNCTUM II. Puer autem crescebat. *Ibidem.* Unumquemque nostrum virtutibus procedentibus crescere oportet , donec occuramus in virum perfectum , in mensuram ætatis , plenitudinis Christi. Nemo dicat : sa-

tis

tis est. *Bonus & fervidus Religiosus*, si semper (*l*) viveret, semper justior esse contenderet: semper de bono in melius proficere conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipavit famulatui. Nisi (*m*) Religiosa persona conetur quotidie se intus purgare, motus, & impetus passionum frœnare, & coram Deo digne proficere; efficitur multo incorrigibilior, durior, & pejor in clauſtro, quam erat in seculo. *Religiosus semper deficit, qui in sua vocatione non semper proficit.*

B. P. N.

(*a*) S. Bern. (*b*) Idem. (*c*) S. Bernardinus Senen. Tom. 2. Serm. 61. (*d*) S. Ansel. L. de excellent. Virg. c. 5. (*e*) S. Ambr. (*f*) S. Ansel. (*g*) Ex Eucherio. (*h*) S. Ansel. (*i*) S. Aug. (*k*) Anonym. apud Cornel. (*l*) S. Bern. Epist. 253. (*m*) Dionys. Carth. de profectu Spirit. art. 14.

XXXI. Dec.

PRIDIE RENOVATIONIS VOTORUM.

S. Silvestri Papæ. Vide Festum S. Ladislai die 27. Junii.

IN RENOVATIONE VOTORUM.
Et Festo Circumcisionis Domini. Vide
I. Januarii.

DOMINICA I.

POST EPIPHANIAM.

*Disputatio Christi in medio Do-
ctorum.*

Mane

PUNCTUM I.

CUM factus esset JESUS annorum duo-
decim. *Luc. 2.* Multi (*a*) com-
putant annos conversionis, sed parvus
fructus emendationis. Senectus (*b*) ve-
nerabilis est, non diurna, nec anno-
rum numero computata. Cani autem
sunt sensus hominis, & ætas senectutis
vita immaculata. Canities (*c*) tunc est
veneranda, quando ea gerit, quæ cani-
tiem decent. Senectus (*d*) eorum, qui
adolescentiam suam honestis artibus in-
struxerunt, & in lege Domini meditati
sunt die, ac nocte, ætate fit doctior,
usu certior, processu temporis sapientior,
& veterum studiorum fructus dulcissimos

me-

metit. Non refert, quam diu in Religione fueris; sed quam bene in ea vixeris. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Ascendentibus illis Hierosolymam. *Ibidem.* O fortunatam in via virtutis ascendendi consuetudinem! Duæ (*e*) quippe sunt viæ: una justorum, altera peccatorum; una æquitatis, altera iniustitiae. Justorum via angustior est, injustorum latior: illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior: ut possit capere fluctuantes. *Prior per breves tribulationum orbitas dicit ad præmia æterna;* posterior per momentaneas voluptatum illecebras ad supplicia præcipitat sempiterna. Quid in tam ancipiti bivio faciam, ut periculum æternum effugiam? ascendam cum JESU, & Maria. Sequar (*f*) te, Domine JESU; sed ut sequar, accersi me: quia sine te nullus ascendit. Tu enim es via, veritas, & vita.

PUNCTUM III. Remansit Puer JESUS in Ierusalem. *Ibidem.* Quamvis probe sciret, quantum doloris dulcissimis Genitoribus adferet; ut tamen doceat humana Divinis

posthabenda, remansit. *Cognatis, benefactoribus, Parentibus solatio, aut auxilio esse, bonum (g) studium; sed majus plerumque Cœlestium impedimentum.* Nam qui partitur studium, derivat affetum; qui dividit curam, differt profectum. *Hic serio perpende, (h) quo suppicio digni sunt, qui nullo urgente, semper ab illis, quæ sunt JESU Christi, ideo recedunt, quia vilia nimium, & abjecta secularium rerum negotia, necessariis animæ anteponunt.* Extra seculum nondum est Religiosus, quem Affinium nimia solicitude tenet. *B. P. N.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et requirebant eum inter cognatos, & notos. *Ibidem. Frustra JESUM inter Cognatos, & notos querimus: ipse enim venit (i) separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus Matrem suam, & nurum adversus socrum suam. A propinquis, (k) amicis, Parentibus nos tam longe oportet esse disjunctos: quam longe eos, qui*

qui jam sunt vita functi, a vivis vide-
mus distare. Si vis *耶穌* invenire, in
Templo, & in medio *Doctorum* quærendus
est. Per *Templum*, *Cœnobium*; per *Docto-*
res, *Sacros libros intellige*. *Orando*, *le-
gen-
do*, *meditando invenies 耶穌*. *Leges*
Conſt. p. I. c. 4.

PUNCTUM II. Invenerunt eum in tem-
plo in medio *Doctorum*. *Ibidem*. *Infi-*
nita Patris æterni Sapientia, plus quam
duorum lustrorum *ſpatio*, velut omnis doctri-
næ expers, altum tacuit; & ego (*I*) pa-
rum aliquid ſcio, vel magis mihi ſcire
videor, & jam filere non possum, im-
pudenter me, & imprudenter ostentans.
Promtus ad loquendum, velox ad do-
cendum, tardus ad audiendum. Chri-
ſtuſ cum tanto tempore tacebat, num-
quid vanam gloriam metuebat? utique
timebat, sed non ſibi. Nobis timebat,
nobis cavebat, nos instruebat. Eſto
ergo (*m*) per omnia citus ad audiendum,
tardus autem ad loquendum; ne cadat in
te illud, quod notatur a Salamone: Si vi-
deris virum velocem in verbis, ſcito, quia
ſpem habet magis insipiens, quam ille.

(a) Thom. a Kemp. (b) Sapient. 4. (c) S.
Chrysost. (d) S. Hieronym. (e) S. Ambr. (f)
Idem L. de bono mortis c. 12. (g) Idem L. 7. in
Lucæ c. 9. (h) S. Chrysost. (i) Matth. 10. v. 35.
(k) S. Basil. c. 20. Const. Monast. (l) S. Bernard.
(m) Cass. Collat. 14. c. 9.

DOMINICA II.

POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ in Cana Galilææ.

Mane.

PUNCTUM I.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.
*Joan. 2. Te Sponsum, Religionem
Sponsam recognosce. Cum hac indissolubile
Matrimonii vinculum contraxisti, dum so-
lenni votorum nuncupatione fidem, amorem,
auxilium, tua omnia, teque ipsum eidem
spopondisti. Cave tam celebre pactum temere
infringas, quod cœlo teste inivisti. Ana-
nias (a) Deo pecunias voverat, quas,
victus persuasione diaboli subtraxit; sed
qua morte multatus est, scis. Si ille
mortis periculo dignus fuit, qui eos,
quos dederat nummos, Deo abstulit:
considera, quanto periculo in Divino
judicio dignus eris, qui non nummos,
sed,*

sed te ipsum Deo omnipotenti , cui te
devoveras , subtraxisti . Absque necessi-
tate remissio voti , non dispensatio , sed
prævaricatio est.

PUNCTUM II. Erat Mater JESU ibi.
Ibidem. Prævenisse videtur adventum Fi-
lli Mater Gratiarum : quæ (b) non solum
supplicantes exaudit , sicut ex sua misericor-
dia consuevit , sed etiam supplicare volentium
preces prævenit. Scio (c) Domina , quia
benignissima es , & amas nos amore in-
vincibili , quos in te , & per te filius
summa dilectione dilexit. Quis scit ,
quoties refrigeras iram Judicis , cum Ju-
stitiæ virtus a præsentia Deitatis egredi-
tur : in manibus tuis sunt thesauri mife-
rationum Domini , & sola electa es , cui
tanta gratia conceditur. Nemo (d) sal-
vatur , nisi per te , o Virgo Sanctissima !
Quem (e) vis , salvus erit ; & a quo
avertis faciem tuam , ibit in interitum.
Qui (f) digne te coluerit , justificabi-
tur ; & qui neglexerit te , morietur in
peccatis suis. S. Bonav.

PUNCTUM III. Vocatus est autem &
JESUS. Ibidem. Cui (g) in periculis pal-
D 3 pi-

pitanti, & trepidanti invocatum JESU nomen, non statim fiduciam præsttit? cui aliquando stetit ante faciem salutaris JESU nominis, cordis duritia? ignaviæ torpor? rancor animi? languor acediæ? cui fons lacrymarum siccatus, invocato JESU non continuo erupit uberior? JESUS (b) factus est nobis Sapientia in prædicatione; iustitia in peccatorum absolutione; sanctificatio in conversatione; redemptio in passione. Quis (i) non post illum libenter, atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata dissimulat? qui deinde merita vivendo tradit, & præmia moriendo conquirit?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Dicit Mater JESU ad eum, vinum non habent. *Ibidem.* Compassa (k) est Sponsorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? quid mirum, si pietatem exhibeant viscera pietatis? nonnunquam vinum deficit: gratia scilicet devotionis, & fervor charicatis. Et ipsa si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati no-

stræ: quoniam misericors est, & Mater misericordiæ. Sed replendæ prius (*l*) hydriæ aqua timoris Domini, & replendæ ad summum. Primam impleat contritio, alteram confessio, tertiam eleemosyna corporea, vel spiritualis, quartam injuriarum condonatio, quintam corporis afflictio, sextam præceptorum, & regularum observatio. Ita fiet, ut aquæ mutentur in vinum: dum perfecta charitas foras mittet timorem.

PUNCTUM II. Dicit eis JESUS: haurite nunc. *Ibidem.* Qui omnes hydrias, seu sensus internos, & externos virtutum habitibus compleverunt, ad degustandum vinum Eucharisticum, vinum germinans Virgines invitantur: ut ita inebrientur ab ubertate domus Dei. O felix (*m*) ebrietas! quæ sobrios facit. Hæc ebrietas gratiæ, non temulentiaæ est; lætitiam generat, non titubantiam. Calix Dominicus (*n*) sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat; ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat; ut a sapore isto seculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat. Et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, anima lætatur, tristitia omnis

deponitur: ita epoto sanguine Domini,
deponatur memoria veteris hominis, &
fiat oblivio conversationis pristinæ secu-
laris.

(a) S. Greg. in Registro. (b) Ex Concil. Ba-
sil. (c) S. Petr. Dam. Serm. I. de Nativ. B. V. (d)
Gerij. Patri. Constan. Orat. de Deip. (e) S. Bonav.
(f) Idem. (g) Ex S. Bernar. (h) Idem super
Cant. Serm. 22. (i) Idem super ead. Cant. (k)
Idem Serm. in hanc Domin. (l) Ex codem. (m)
S. Ambros. Lib. I. de Cain & Abel c. 5. (n) S.
Cyprian. Epist. 63.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM. *Leprosus curatur.*

Mane.

PUNCTUM I.

CUm descendisset JESUS de monte, se-
cutæ sunt eum turbæ multæ. *Matth.*
8. *Qui vult (a) Christum vestigiis salu-
taribus sequi, per ejus exempla gradiatur.*
Ad Christi (b) similitudinem vitæ suæ
cupiens instituta formare, accusatus ta-
cet, læsus remittit, dissimulat lacepsitus.
Noli (c) per aliam velle ire viam, quam
per illam, qua Christus ivit. Dura vi-
de-

detur , sed ipsa est tuta via. Alia forte delicias habet , sed latronibus plena est. Per dura ambulavit Christus , sed magna promisit. Sequere. Noli tantum attendere , qua iturus es , sed & quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia , sed ad lætitiam pervenies sempiternam. Qui (d) vere Christum sequi desiderat , calset seculi voluptates , & ut figura quædam inter homines conversetur : ut ejus converratio tota in cælis sit.

PUNCTUM II. Et ecce leprosus veniens adorabat eum. Ibidem. *Lepra* solum *corpus* ; peccatum & *corpus* , & animam coquinat. Disce ab hoc leproso , ut primum spiritualem medicum inveneris , lepram animæ per pœnitudinem expiare. Peccasti ? (e) ne adjicias iterum ; sed & de pristinis deprecare , ut tibi dimittantur. Promisit (f) tibi Deus , quoniam quo die conversus fueris , obliviscetur mala tua ; sed nunquam vitam crastini diei promisit. Quare ergo pœnitentiam differs de die in diem , forte hodie habiturus ultimum diem ? Multi (g) cum peccarent , subito periverunt. Time ,

ne & tu hoc patiare. Sed , multis in-
quis , Deus dedit privilegium , ut in ul-
tima senectute confiterentur. Quid igi-
tur? Nunquid & tibi dabit ? fortasse da-
bit , ais. Cur dicis fortasse ? contigit
aliquoties. Cogita , quod de anima deli-
beres. Quid autem , si non det ?

PUNCTUM III. Extendens JESUS ma-
num , tetigit eum dicens : volo , munda-
re. *Ibidem.* Duo leprosus petierat. Alte-
rum dum dixit : Domine si vis , seu ob-
secro , ut velis. Alterum dum ajit : potes
me mundare. Utrique petitioni alacriter
satisfecit JESUS. Illi , dum respondebat : vo-
lo. *Huic* , dum imperavit : mundare. Et
confestim mundata est lepra ejus. *Hu-*
milis , & plena spei oratio , si in nullo de-
ficiat , quidquid petierit , indubie exorat.
Si primo (b) non exaudiris ; ab oratio-
ne non deficias. Vult Deus rogari ,
vult cogi , vult quadam importunitate
vinci. Esto ergo sedulus in oratione ,
esto in precibus importunus. Si dissi-
mulat audire , esto violentus , ut vim
etiam ipsis cœlis inferas. Bona violen-
tia : qua Deus non offenditur , sed pla-

catur ; proximus non læditur , sed ju-
vatur ; peccatum minuitur , non multi-
plicatur . Quodsi (i) te ipsum desti-
tueris deprecatione , perinde feceris , ac
si pisces ex aquis extraxeris . Ut pisces
vita est aqua , ita tibi oratio .

Die eadem Vesperi .

PUNCTUM I. Et ajit illi JESUS : vide ,
nemini dixeris . *Ibidem . Expeditissima via*
ad gloriam , est fuga gloriæ . Fugientem
sequitur ; sequentem fugit . Fuge (k)
ostentationem : & velut umbra , comes
boni operis gloria subsequetur te . Est
*autem ostentatio subtile malum , secre-
tum virus , pestis occulta , doli artifex ,*
*mater hypocrisis , livoris parens , vitio-
rum origo , criminum fomes , tinea san-
ctitatis , excœcatrix cordium : ex reme-
diis morbos creans , generans ex me-
dicina languorem . Omnia (l) mala ha-
bent contraria bona , per quæ superentur ,*
demta vana gloria . Quia omne malum ex
*malo nascitur , sola vana gloria de bono pro-
cedit : ideo non extinguitur per bonum , sed*
magis nutritur .

PUNCTUM II. Vade , ostende te Sa-
cer-

cerdoti , & offer munus. *Ibidem.* Si de-
sideras a peccatorum sordibus perfecte emun-
dari , præter rite , & contrite factam con-
fessionem , munus seu supererogatoria opera
offeras , est necesse. Facilius (*m*) inveni-
qui innocentiam servaverint , quam qui
congrue egerint pœnitentiam. An quis-
quam illam pœnitentiam putat , ubi
aquirendæ ambitio dignitatis ? ubi effu-
sio vini ? &c. Renunciandum seculo-
est ; somno ipsi minus indulgendum ,
quam natura postulet. Interpellandus
est gemitibus , interrumpendus suspiriis ,
sequestrandus orationibus. Vivendum
ita , ut vitali huic moriamur usui. Seip-
sum homo abneget , & totus immutetur.
**Quid tibi prodest reliquisse mun-
dum , nisi in Religione pœnitен-
tiam egeris ? B. P. N.**

- (a) Ex S. Cypr. (b) S. Ambr. in Psal. 37.
- (c) S. Aug. in Psal. 36. (d) Ex S. Basil. (e) S.
Ambr. L. de Pœnit.
- (f) S. August. (g) S. Chrysost. homil. 22. in Ep. 2. ad Cor. (h) S. Greg. in
Pſ. 6. Pœn.
- (i) S. Chrysost. L. 1. de orando Deo.
- (k) S. Bern. (l) Auth. Imperf. (m) S. Ambros.
L. 2. de Pœn. c. 10.

DOMINICA IV.

POST EPIPHANIAM.

Sedatur maris tempestas.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. Mundus mare, navis Ecclesia, Discipuli Fidelium multitudo. Eadem cum Christo navi vehebantur Apostoli, & tamen periclitabantur. Locus, quem ea ipsa in navi tecum occupas, locus sanctus est; sed minime securus. Nusquam est securitas, (a) nec in cœlo, nec in paradyso, minus in mundo. In cœlo cecidit Angelus; Adam in paradyso; Judas in mundo, & quidem in schola Salvatoris. Non ergo locus homines, sed homines locum sanctificant. *Ubicunque fueris, quocunque te verteris, sine tentatione esse non poteris:* Quia (b) profectus noster, per temptationem nostram fit. Nec potest quis coronari, nisi vicerit, nec vincere, nisi inimicum, & temptationes habuerit.

PUNCTUM II. Ipse vero dormiebat.

Ibi-

Ibidem. *Sopitæ sunt in te passiones ? ne
crede eis.* Mortificari possunt, mori dum
vivis, non possunt. Dum minime opinaberis,
tanto impetu insurgent; ut nisi conti-
nenter excubes, subito opprimaris. *耶穌
in media tempestate secure dormiebat:* quo-
niam in eo, sensus (*c*) corporei vigebant
sine lege peccati: & veritas affectionum,
sub moderamine Deitatis, & mentis. *Sed
alia est rerum tuarum ratio,* in quo con-
cupiscit caro adversus spiritum, & spiritus
adversus carnem. *Quod certamen,* cum in
Christo locum habere non potuerit, erat
(*d*) ipse in puppi super cervical dormiens.
O bone 耶穌 ! utinam cervical
istud mibi obtingat : quod consarcinavit pu-
ra conscientia, replevit in Deum fiducia,
substravit in manus Domini resignatio: In
pace in idipsum dormiam, & requiescam.
ps. 4. v. 9.

PUNCTUM III. Et suscitaverunt eum.

Ibidem. Nata est (*e*) tentatio ? ven-
tus est. Turbatus es ? fluctus est. Ex-
cita ergo Christum. Audisti convitum ?
ventus est. Iratus es ? fluctus est. Ven-
to flante, fluctu surgente periclitatur na-
vis,

vis, periclitatur cor tuum. Et quare
hoc? quia dormit in te Christus. Quid
est, dormit in te Christus? oblitus es
Christum. Excidit tibi, quia ipse dum
crucifigeretur, dixit: Pater ignosce illis.
Qui dormiebat in corde tuo, noluit vin-
dicari. Excita illum, recole illum.
Quod autem dixi ad iracundiam, hoc
tene de omni temptatione. *Et dic:* ergo
compescam me ab iracundia mea, & re-
dibo ad quietem cordis mei. En jam
imperavit Christus mari, & facta est
tranquillitas magna.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Domine salva nos, per-
fimus. *Ibidem.* In periculis, in temptationi-
bus, in ærumnis ultimum, juxtaque certis-
simum remedium est fervens oratio. Ad
(f) temptationem vadit, qui ad oratio-
nem non vadit. *S. Petr. Chrysol.* Sed
(g) nihil caducum, nihil vile, nihil tem-
porale æternitatis conditor vult a se im-
plorari. Quisquis sempiternis prætermis-
sis, aliquid caducum maluerit ab eo po-
stulare; offendit potius, quam propi-
nationem vilitate orationis incurret.

Equi-

Evidem cum (b) hæc defunt , ab omnipotenti Deo petenda sunt. Sed meminisse debemus, quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accipimus : Quærite primum Regnum Dei. Male (i) petit a Deo : primo , qui jussa Domini contemnens beneficia superna desiderat : secundo , qui amissio amore supernorum , infima tantum quærit bona recipere : tertio : & hæc , non ad sustentationem humanæ fragilitatis , sed ad redundantiam liberæ voluptatis.

PUNCTUM II. Tunc surgens imperavit ventis , & mari. *Ibidem. Sentient omnes creaturæ , heu ! te uno excepto , Creatorem suum. Saltem amodo imitare (k) ventos , & mare : obtempera Creatori , sub iussione Christi. Mare audit , & tu surdus es ? Mare audit , & ventus cessat , & tu sufflas ? Quid ? dico , facio , fingo. Quid hoc est aliud , nisi sufflare , & sub verbo Christi nolle cessare ? Ecce (l) in januis est , qui fecit cœlum , & terram Creator tuus. Tu servus , ille Dominus ; ille figulus , tu figmentum. Totum quod es , illi debes , a quo totum*

tum habes. Huic totis viribus , totis
medullis serviendum : ne forte indigna-
tionis oculo te respiciat, & despiciat, &
conterat in æternum.

(a) S. Bern. (b) S. Aug. in ps. 60. (c) S.
Leo Ep 11. (d) Marci 4. (e) S. August. homil.
3. inter 17. ad calcem Tom. 10. (f) S. Petr.
Chrysol. Serm. 44. (g) Cass. Collat. 9. c. 23. (h)
S. Gregor. homil 27. in Evang. (i) V. Beda. (k)
S. August. (l) S. Bernard. Serm. de quadruplici
debito.

DOMINICA V.

POST EPIPHANIAM.

Bonum Semen , & Zizania.

Mane.

PUNCTUM I.

SImile factum est Regnum Cœlorum ho-
mini , qui seminavit bonum semen
in agro suo. *Matth. 13.* *Semen* (a) *est*
gratia Dei , ex qua fertilissima virtutum ,
bonorum operum , & meritorum seges pul-
lulat in hac vita : & gloria cœlestis in Pa-
tria. Vis scire : an hoc semen in agro cor-
dis tui fructum adferat ? sincero (b) *exa-*
mine , sagaciter quære : qua humilitate
resistas superbiæ ? qua benevolentia ob-

fūcteris invidiæ ? quam non capiaris adulantum linguis ? quam bonis delecteris alienis ? &, si dilectionem Dei, & proximi ita repereris, ut etiam inimicis tuis eadem velis tribui , quæ tibi ipsi optas impendi : *babes bonum semen seminatum in agro tuo.*

PUNCTUM II. Cum autem dormirent homines , venit inimicus ejus. *Ibidem.* Apposite per Salomonem dicitur : Pigredo immittit soporem. *Prov. 19.* Piger enim (c) recte sentiendo , quasi vigilat ; quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur : quia detentim recte sentiendi vigilantia amittitur , cum a bene operandi studio cef- fatur. Pigris itaque intimandum est : quod sœpe dum opportune agere , quæ possumus , nolumus ; paulo post , cum volumus , non valemus. Noli ergo (d) diligere somnum peccati , & inertiae , de quo Apostolus ait : Hora est jam nos de somno surgere. *Noli diligere somnum superfluæ dormitionis :* plus enim dormire , quam vigilare ; *vita est glirium , non hominum.*

PUNCTUM III. Et superseminavit Zizania. *Ibidem.* Zizania, vox Evangelica veteribus græcis, latinisque incognita: lolium lappas, tribulos, carduos, reliquasque segetum pestes significat. In lolio, quod bordeo simillimum ebrietatem cauſſat, fucatam hypocritarum sanctitatem intellige. Per bamata lapparum capita, & vestibus adhærentia, adulatio[n]is vitium cognoscito. Tribuli secundum folia spinis rigidis armati, mordacia dicta, ceterosque iracundiæ aculeos significant. Reliquæ vitiosarum herbarum species, omnem bonorum morum corruptelam repræsentant. Heu inutilem agrum, cui infelix lolium, & steriles avenæ dominantur!

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. *Ibidem.* Non (*e*) quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit; Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Sine (*f*) perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur: Ipsa vigor

virium, & virtutum consummatio est. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium: Soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Solum (*g*) non perseverasse, est amisisse coronam. Attollite oculos ad Cœlum! intuemini JESUM Christum certasse, & vicisse; ac certantes fortiter adjuvare exhortationibus, exemplo, verbis, promissis, & donis.

PUNCTUM II. Inimicus homo hoc fecit. *Ibidem. Inimici hominis domestici ejus.* Multi (*b*) absque diabolo peccant. Non omnia ipse efficit; sed multa etiam fiunt a sola nostra ignavia. In hoc (*i*) mortali corpore ex quatûor elementis subsistimus, & per voluptates ejusdem corporis præceptis Dominicis contraimus. *Nullus major, nullus periculosior animæ tuae hostis esse potest, quam tu ipse sis.* Gravior (*k*) inimicus est, qui latet in pectore. Eum, qui palam est adversarius, facile vitare possis: *Tè ipsum nusquam effugeris.* *In te est radix omnis concupiscentiæ.* *Has sentire, est connaturale, neceſſa-*

sarium, involuntarium: consentire vero est arbitrarium, liberum, & voluntarium.
Rebellant? (l) rebella: pugnant? pugna: expugnant? expugna: hoc solum vide, ne vincant.

(a) Ex S. Thom. p. I. q. 62. a. 3. (b) S. Leo Serm. 8. de Epiph. (c) S. Greg. part. 3. Pastor. admon. 16. (d) V. Beda. (e) S. Hier. (f) S. Bern. (g) S. Laur. Just. c. de persev. (h) S. Chrysost. (i) S. Greg. (k) Seneca. (l) Hugo.

DOMINICA VI.

POST EPIPHANIAM.

Parabola grani Sinapis.

Mane.

PUNCTUM I.

Simile est Regnum Cœlorum grano si-
 napis. Matth. 13. *Granum sinapis, fidem non mortuam, & otiosam, qualis & apud inferos reperitur; sed charitate animata, & bonis operibus jugiter insistentem figurat.* Granum (a) sinapis membrorum viscera calefacit: fidei vigor cordium peccata comburit. Illud asperum frigoris algorem removet: hæc delictorum diabolicum frigus expellit. Illud hu-

mores corporum decoquit : hæc libidinum fluenta consumit. *Fides hæc ut operosa sit, spe nutriri, charitate animari desiderat.* Mors fidei (*b*) est separatio charitatis. Credis in Christum ? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te ; hoc Christus non fecit. Conferis te nosse Deum, factis autem negas.

PUNCTUM II. Quod minimum quidem est omnibus seminibus. *Ibidem.* *Inter virtutum semina minimum videtur humilitas :* qua quis (*c*) ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. *Et tamen , tota (d) Christianæ sapientiæ disciplina , non in abundantia verbi , non in astutia disputandi , non in appetitu laudis , & gloriæ ; sed in vera , & voluntaria humilitate consistit.* Hanc Dominus JESUS Christus ab utero Matris , usque ad supplicium crucis & elegit, & docuit. Quanto (*e*) humilior fueris , tanto te major sequetur gloriæ altitudo. Descende, ut ascendas ; humiliare , ut exalteris. Hu-
mi-

militas casum nescit. Evidentissimum
(f) electorum signum est humilitas. Sed
verus humilis (g) vult reputari,
non humilis prædicari : hoc solo sa-
ne superbus, quod laudes contemnat.
**Non est humilis, qui non op-
tat sperni.** *B. P. N.*

PUNCTUM III. Cum autem creverit,
majus est omnibus oleribus. *Ibidem.* *Grani*
sinapis exiguitas, & levium culparum
contemptui satis apposite comparatur. Mi-
rabile (h) quiddam, atque inauditum
dicere audeo. Solet mihi nonnunquam
videri, non tanto studio magna pecca-
ta esse evitanda, quanto parva, & vi-
lia. Illa enim, ut aversemur, ipsa na-
tura peccati efficit: hæc autem, hac ip-
sa re, quia parva sunt, contemnuntur.
Cito ex parvis magna fiunt negligentia
nostra. Hac via, omnia scelera fieri
videbis. Nemo repente ad extremam
improbitatem insiliit. Habet insitum
quendam anima pudorem, quem subito
projicere non potest. Particulatim (i)
crescent vitia, & dum parva non cave-
mus, in magnis prolabimur.

PUNCTUM I. Et sit arbōr. *Ibidem.*
Sancta pie, & religiose vivendi consuetudo,
instar fructuose arboris continenter augescit:
& post suavissimos virtutum flores, æter-
nos præmiorum fructus reddit. *Hæc ipsa*
tamen, si cultura careat, nullum fructum
boni operis germinabit. *Nefas est à cultu-*
ra remittere. Studere (*k*) perfectioni per-
fectio est; nolle proficere, deficere est.
Ubi ergo sunt, qui dicere solent: suffi-
cit nobis: nolumus esse meliores, quam
Patres nostri? O Monache! non vis
proficere? non. Vis ergo deficere?
nequaquam. Quid ergo? sic vivere
volo: nec pejor fieri patior; nec melior
cupio. Hoc ergo vis, quod esse non
potest. *S. Bern.*

PUNCTUM II. Ita ut volucres Cœli
veniant, & habitent in rāmis ejus. *Ibi-*
dem. *Angeli Dei cum sanctis hominibus fa-*
miliarissime conversantur. *Assistunt quidem*
omnibus pie viventibus, sed peculiariter as-
sistunt Deum jugiter orantibus. Quanta
(*l*) ergo cum reverentia ad orandum ac-
cedere debet miser homuncio? quam
tre-

tremebundus , & supplex , quam sollicitus , & toto intentus animo ? in præsentia nempe Angelorum , in Concilio iustorum . Esto (m) orationis tempore velut Cœlestis Angelus : ut oratio tua sit sancta , & pura , immaculata , & irreprehensibilis : ut ipsam cernentes Angeli , atque Archangeli , cuncti lætantes illi occurrant , & coram excelso throno immaculati Dei ipsam offerant .

(a) S. Aug. (b) S. Bern. Serm. 24. in Cant.

(c) Idem. (d) S. Leo Serm. 7. de Epiph. (e) S.

Bern. (f) S. Greg. L. 34. Moral. c. 18. (g) S.

Bern. Serm. 6. in Cant. (h) S. Chrysost. homil. 88.

in Matth. (i) S. Isidor. (k) S. Bernar. Ep. 253.

(l) Idem. (m) S. Ephrem.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Parabola Operariorum in Vinea.

Mane.

PUNCTUM I.

SImile est Regnum Cœlorum Patrifamilias , qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam . Matth. 20. *Primo mane ætatis tuæ , dum sacro fonte tingereris , ad excolendam animæ*

E 5

tuæ

nūe vineam pro operario conductus es : quorū ergo stare audes tota die otiosus ? evigila tandem , & excusso negligentiae somno , nunquam (a) a bono opere desistas . Matutinam vegetæ ætatis justitiam , sene-
ctutis vesper inveniat . Incertum enim est , quod opus magis placeat Deo , & ex quo tibi fructus justitiæ præparetur . Et in adolescentia , & in senecta æquus tibi labor sit . Nec dicas : Dum potui laboravi : debeo in senectute quiescere . Nescis enim an in juventute , an in æta-
te longæva placeas Deo .

PUNCTUM II. Ite & vos in vineam meam . *Ibidem.* Cum in vitæ secularis sta-
tu tota die staremus otiosi , nullo nostro me-
rito , sed misericordia sua infinita , Unde-
cima (b) tandem , & novissima mundi
hora , ut vineam perficeret , quam plan-
tavit duxera ejus ; novos nos conduxit
operarios , qui , ne aper de silva , Chri-
sto renata germina in ipso flore depa-
ceret ; Domini timorem , legem vitæ ,
& disciplinæ parvulos edoceremus . *Quo-*
rum , ut salubris , ita admodum difficilis est
institutio : ne aut severitate iram in illis nu-
tria-

triamus; aut remissione indolem obtundamus.
 Sit itaque (*c*) amor, sed non emolliens:
 sed rigor, sed non exasperans: sit ze-
 lus, sed non immoderate fæviens: sit
 pietas, sed non plus, quam expedit,
 parcens. *Perpende singula, ut hoc modo*
pie & fructuose in vinea Domini opereris.

PUNCTUM III. Voca operarios, &
 redde illis mercedem. *Ibidem.* Cum (*d*)
 bonus sit Deus, servis tanquam merce-
 nariis utitur, & servitutem eorum mer-
 cede rependit: & debitum obsequium,
 tanquam facinus egregium suscipit: &
 præmium tribuit, quod labores etiam
 excedit. Itaque (*e*) datur omnibus idem
 denarius: quoniam Sancti omnes sine
 fine regnabunt, quamvis non omnes ea-
 dem eminentia: quemadmodum commu-
 ne stellis omnibus est perpetuo fulgere
 in cœlo, tametsi aliae aliis clarius micent.
Quantum operæ feceris, qua solertia, pie-
tate, & literis Juventutem institueris; tan-
tum mercedis, gloriæ, & lucis reportabis.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Venientes autem & pri-
 mi

mi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. *Ibidem.* Noli (*f*) fidem, noli meritum pensare temporibus: nec me idcirco meliorem putas, quod prior in exercitu Christi ceperim militare. Paulus Apostolus de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est. Subitus calor longum vincit temporem. Et accipientes murmurabant. *Ibidem.* Murmurabant, (*g*) sed non omnes, verum operarii negligentes: qui laborem incepturn ad finem non perduxerunt. Murmurabant autem dicentes: Nos portavimus pondus diei, & æstus &c. *Ibidem.* Vetus hæc tepidorum cantillena est: utinam non tua! ambitionis quippe, invidiæ, arrogantiæ, pessimorum parentum pessima soboles. Ingratus ille Religiosus est, qui putat se plus contulisse Religioni, quam accepisse ab ea. *B. P. N.*

PUNCTUM II. At ille respondens unius eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam. *Ibidem.* *Hic Magistri, Lectoris,*
Præ-

Prædicatoris; alius Prælati munus tibi veterano præripit: si livore suffunderis, si æmulatione in transversum raperis, si furis, baccharis, convitiaris; respondet tibi sane quam justissime Materfamilias Religio: Amice, non facio tibi injuriam; nonne convenisti mecum: quod (b) toto vitæ tuæ tempore, ne minimum omnium velis anteire? Sicut (i) pes non cupid esse manus, sed sua sorte contentus est; nec auris quærerit esse oculus, sed suo officio & loco quiescit: ita homines bene religiosi, statu, ac gradu suo contensissimi vivunt, nec altiora ambiunt. Age viriliter: omni major invidia efficere. Si non (k) invideas, major eris. O quisquis es, qui bono invides alieno, parcito vel tuo!

(a) S. Hieron. (b) Bened. Pap. XIV in Brev. Beatif. B. P. Fund. N. (c) S. Gregor. (d) Euthym. (e) S. August. in Lucam. (f) S. Hieronym. Ep. 13. ad Paulin. (g) Glossa. (h) Constit. p. I. c. 3. (i) S. Anselm. L. de Beatitud. (k) Seneca.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Parabola seminis in terram bonam, vel malam cadentis.

Mane.

PUNCTUM I.

Ex iit, qui seminat, seminare semen suum. *Lucæ 8.* Semen verbi Divini, aut e suggestu, aut pro sacro tribunali, aut in schola saturus, solertiam agricolarum imitabere. Illi, priusquam sementem faciant, semen a paleis, reliquaque fæce naviter perpurgant: tu diligentि præmeditatione ea, quæ dicturus es, ab omni errore, vaniloquio, ostentatione emunda. Illi, spe copiosae messis, semen liberaliter, alacriter, & diligenter disseminant; tu memor mercedis æternæ large, libenter, & studiose, Doctrinæ Cœlestis sementem facito. Qua in re, conditio nostra longe superior est. Agricola (*a*) non semper pari alacritate seminat, cogitans fructus hactenus fuisse inutiles; nos autem ab hac cura liberi sumus. Nam licet jacto cœlesti semine, ob auditorum ignaviam fructum non capiamus;

per-

perfecta tamen nobis futura est messis,
ac merces. *S. Chrysost.*

PUNCTUM II. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam. *Ibidem.* Hi (*b*) sunt, qui nec prædicatione compunguntur, nec bene agere incipiunt. *Quorum mens malis cogitationibus assidue trita, & mundanis desideriis indurata, Evangelicæ Doctrinæ fementem, cupiditatibus suis prorsus contrarium, nec capit, nec sentit, nec retinet, nec intelligit: tota quanta illecebris suis immersa.* Plerumque (*c*) fit, ut cum audentis cor, exigentibus culpis, Dei gratia non repletur, in cassum exterius moneatur. Nec mirum, (*a*) si a corde reprobo prædicator minime auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his, quæ loquitur, resistentium moribus impugnatur.

PUNCTUM III. Et aliud cecidit super petram, & natum aruit. *Ibidem.* Petrofa (*e*) terra humorem non habuit, quia hoc, quod germinaverat, ad fructum perseverantiæ non perduxit. Multi, cum verbum contra avaritiam audiunt, eandem detestantur, rerum omnium

nium contemptum laudant : sed mox , ut viderit animus , quod concupiscat , obliviscitur , quod laudabat. Multi , cum verbum contra luxuriam audiunt , non solum perpetrare non appetunt , sed & perpetrata erubescunt : sed mox , ut carnis species eorum oculis appareat , sic mens ad desideria rapitur , ac si adhuc ab ea , nihil sit contra hæc eadem desideria deliberatum : & pariter alia damnanda agit , quæ quidquid egisse se meminit , jam & ipsa damnavit. *Hi ergo , bi radices non habent , qui ad tempus credunt , & in tempore temptationis recedunt.*

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Et aliud cecidit inter spinas. *Ibidem. Non adhærent tibi divitiæ , quibus renunciasti ; sed , si , tu adhæres divitiis , quas dimisi : si opibus pauper , affectu dives es : si pœnitet te reliquise omnia : inter spinarum aculeos volutaris , & nescis. Suffocant in te fementem veræ paupertatis. Divitarum (f) amor insatiable , longiore desiderio amplius torquet animum , quam refrigeret usu suo : ut pote , quarum aquisitio laboris , posses-*
fio

fio timoris, amissio plena doloris inveniatur. Quid nobis cum terrenis divitiis, quæ nec nostræ, nec veræ sunt? aurum, & argentum vere est terra rubea, & alba: quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam.

PUNCTUM II. Et aliud cecidit in terram bonam. *Ibidem.* Terra (*g*) bona est fidelis conscientia electorum, sive mens Sanctorum: quæ Verbum Dei cum gaudio, & desiderio, & cordis devotione suscipit, & inter prospera, & adversa viriliter conservat, & ad futura perducit. Unde sequitur: & facit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Simul (*b*) pluit Dominus super segetes, & super spinas; sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem. Videat quisque, quo trahit pluviam bonam. Si eam trahit, ut generet spinas, numquid pluvia Dei accusanda est? antequam veniret ad radicem malam, dulcis est pluvia illa: dulce est Verbum Dei, donec veniat ad cor malum,

(a) S. Chrysostom. homil. 41. in Gen. (b)
 Glossa interlinear. (c) S. Greg. (d) Idem L. II.
 moral. c. 5. (e) Idem homil. 15 in Evang. (f)
 S. Bern. (g) S. Thom. Aquin. (h) S. Aug.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Cæcus, qui secus viam sedebat, sanatur.

Mane.

PUNCTUM. I.

COecus quidam sedebat secus viam.
Lucæ 18. *Nulla periculosior cæcitas
 cogitari potest, mentis in malo obduratae cæ-
 citate. Per illicitam vitæ libertatem, in-
 currit anima hanc damnosissimam cæcitatem.*
Filius tenebrarum, qui crebro scelere (a)
 cœcatus est, vadit nesciens in gehen-
 nam ignis, & præceps fertur in pœnam.
*Si filius lucis esse vis, quæ sunt Christi,
 gere: quia lux & sol justitiae Christus est.*
Noli (b) cadere in peccatum, & non
 tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum,
 ille faciet occasum. Qui (c) homo lu-
 cis esse cepisti, quid in zeli tenebras
 quis? quid te nubilo livoris involvis?
 quid invidiæ cæcitate, omne pacis &
 cha-

charitatis lumen extinguis? Qualiter (*d*)
in alienis vides tam parva, & in tuis
tam magna transcurris? Si te magis amas,
quam proximum; quare ipsum procuras,
& non te ipsum?

PUNCTUM II. JESU Fili David misere-
rere mei. *Ibidem.* Non (*e*) est aliud no-
men sub cœlo datum hominibus, in quo
oporteat nos salvos fieri. *Nihil ita iræ*
(*f*) *impetum cohibet, superbiæ tumo-*
rem sedat, sanat livoris vulnus, extin-
quit libidinis flammam, ac totius inde-
cori fugat pruriginem; quam invocatum
nomen JESU. Siquidem, dum nomino JE-
sum, hominem mihi propono mitem,
& humilem, benignum, sobrium, ca-
ustum, misericordem, & omni sanctitate
conspicuum, eundemque ipsum Deum
omnipotentem: qui suo me & exemplo
fanet, & roboret adjutorio. Hæc om-
nia mihi sonant, cum insonuerit JESUS.
Desideratissimum, & potentissimum Nomen
JESU; semper tibi in ore, semper in sinu
sit, semper in manu: quo tui omnes in
JESUM & sensus dirigantur, & actus.

PUNCTUM III. Et qui præibant, in-
F 2 cre-

creabant eum. *Ibidem.* *Studium orationis, & modestiae, honestatis, & temperantiae, cave, negligas; quantumvis malo praeuentium exemplo, aut insanis vociferationibus increpere.* Intuere (*g*) veterum Patrum vivida exempla: quae plus provocare te debent ad proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum. Existio (*h*) alterius sapiens emendat suum. Optimum est majorum sequi vestigia, si recte præcesserint. Semper (*i*) tibi displiceat, quod es; si vis pervenire, ad id, quod nondum es. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quid tibi vis faciam?
Ibidem. O quanta benignitas Salvatoris! Ultro offert Divinam Gratiam, modo eam ardenter petere, & congrue recipere non gravemur. Vincit, vincit duritiem cordis nostri immensa Dei expectantis pietas. Non (*k*) est jam, quod homo excusationis inveniat. Deus despicitur, & expectat;

con-

contemni se v det, & revocat; injuriam de contemtu suo suscipit, & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc ejus longanimitatem negligat: quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem patientiam ante judicium prolongavit.

PUNCTUM II. Domine, ut videam.
Ibidem. Ut verum lumen aut murquam amittas, aut amissum facile recuperes: memento (l) te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, & abdita mentis novit. Præsentiam Dei omnia cernentis ob oculos ponito & dic: quo- cunque (m) iero, tu me Domine non deseris. Ubi cunque fuero, non rece- dis, quoniam ubique es: ut quocunque iero, inveniam te. Fateor, quia quid- quid facio, & quæcunque facio: & il- lud quidquid est, quod facio, melius tu vides, quam ego qui facio. Quidquid operor, tu semper præsens ades, per- petuus inspector omnium cogitationum, intentionum, & delectationum, & ope- rationum mearum. Cumque hoc dili-

genter considero, Domine Deus meus,
terribilis, & fortis, timore pariter, & in-
genti rubore confundor.

(a) S. Chrysost. (b) S. August. tract. II. in
Joann. (c) Hugo. (d) S. Chrysost. super Matth.
(e) Act. 4. (f) S. Bern. Serm. 15. (g) Thom. a
Keimp. (h) Seneca. (i) S. August. (k) S. Gregor,
homil. 13. in Evang. (l) S. Basil. (m) S. August.
in soliloq.

DOMINICA I.

QUADRAGESIMÆ.

Christi Tentatio.

Mane.

PUNCTUM I.

TUNC JESUS ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. 4. *Ille ipse Spiritus, qui JESUM in desertum, te ad religiosam duxit solitudinem. Cave, concidas animo: si fortasse tot, ac tantis temptationibus impeteris, quot, & quantas nunquam subivisti. Ideo huc ductus es: ut tentareris a diabolo. Non effugisti, sed irritasti adversarium. Hæc est certaminis (a) & spiritualis pugnæ area. Non quærit (b) diabolus homines infideles, aut improbos; de ovili, & scola Christi rapere fe-*

festinat. Quanto (*c*) quis se, a mundi errore avertere, & ad servitutem Dei coadunare festinat, tanto graviora certamina tolerat. Molesta (*d*) est hæc lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus. Imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. **Coronam in Religione, labor præcedit, & pugna. B. P. N.**

PUNCTUM II. Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. *Ibidem.* Si ventrem ab escis, mentem a vitiis abstraxeris; & salubriter jejunabis, & esurire incipies justitiam. *Abstinentiam* (*e*) indicito corpori: ut anima a malis abstineat. Quid (*f*) est enim jejunium, nisi culpæ mors? excidium delictorum? remedium salutis? radix gratiæ? fundamentum castitatis? Elias jejunus filium viduæ ab inferis suscitavit, jejunus cœlum clausit, jejunus pluvias deposuit, jejunus ignes de cœlo eduxit, jejunus curru raptus est ad cœlum: tunc denique plus meruit, quan-

do plus jejunavit. *Hoc gradu ad virtutes citissime pervenitur.* Revera nemo liberari potest a ceteris vitiis, nisi ingluviem restrinxerit ventris. *Const. p. 2. c. 4.*

PUNCTUM III. Et accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es , dic , ut lapi-des isti panes fiant. *Ibidem.* Ecce quam expeditus est ad nocendum ? quam wafer ad impugnandum ? Omnium (g) discutit con-suetudines , ventilat curas , scrutatur af-fectus. Novit , cui adhibeat æstus cu-piditatis , cui illecebras gulæ ingerat , cui apponat incitamenta luxuriæ , cui infun-dat virus invidiæ. Novit , quem erro-re conturbet , quem gaudio fallat , quem metu opprimat , quem admiratione se-ducat. Offert (h) oculis formas illices , ut visu destruat castitatem ; aures per canoram musicam tentat , ut soni dul-cioris auditu solvat religiosam gravita-tem. Linguam convitio provocat , ma-num injuriis laceffentibus ad petulantiam cædis instigat. Ut fraudatorem faciat ; lucra apponit. Ostendit falsa ; ut vera surripiat. Si tantum posset nocere dia-bolus , quantum vult ; aliquis justorum non remaneret. *S. Aug.* Die

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Qui respondens dixit : scriptum est. *Ibidem.* Ideo (*i*) tentatus est Christus , ne vincatur a tentatore Christianus. *Validissimam gulæ, vanæ gloriæ, & avaritiæ temptationem, dum paucis his retudit Christus ; Scriptum est : quid aliud egit, quam insigne tibi reliquit documentum, quo ignea inimici tela retorqueas ? Tentat te importuna loquendi prurigine ? dico illi : scriptum est *Constit. p. i. c. 6.* Elatam vocem , & collocutiones omnino vitabimus. *Tentat te ulciscendi cupiditate ? dico illi : scriptum est : Matth. c. 5.* Diligite inimicos vestros , & benefacite illis , qui oderunt vos. *Ad singulas suggestiones dico : scriptum est : & vicisti.**

PUNCTUM II. Tunc reliquit eum diabolus. *Ibidem.* Vides (*k*) ipsum diabolum non esse in tentandi studio pertinacem. Cedere solet veræ virtuti. Per timescit (*l*) Satanás recte viventium vigilias , orationes , jejunia , mansuetudinem , voluntariam paupertatem , humilitatem , misericordiam , iræ dominatum : & præcipue cor purum erga Christi amorem.

xem. Alligatus (*m*) est, tanquam innexus canis catenis. Neminem potest mordere, nisi eum, qui se mortifera securitate illi conjunxerit. Stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates seculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest; mordere omnino non potest, nisi volentem.

(*a*) Ex Orig. (*b*) Ex S. Hieron. (*c*) Raban.
 (*d*) S. Bernar. (*e*) Ex S. Ambr. (*f*) Idem L. de
 Elia, & Jejun. (*g*) S. Leo Serm. 7. de Nativitate
 (*h*) S. Cyprian. (*i*) S. Ambros. (*k*) Idem. (*l*)
 S. Antonin. (*m*) S. August. Serm. 197. de temp.

DOMINICA II.

QUADRAGESIMÆ.

Transfiguratio Christi.

Mane.

PUNCTUM I.

ASsumit JESUS Petrum, & Jacobum & Joannem. Matth. 17. *Ad arcam Moysis, & Eliæ cum JESU colloquium, ad locupletissimum Patris æterni testimonium, ad delibandum Cœlestis vitæ gaudium, ex*

Apo-

Apostolico Collegio tres assumuntur ; nec tam ceteri livore , & invidia consumuntur . Quorsum igitur tu unus ex schola Christi alienis bonis contabescis ? cur (a) non tuis malis , sed alienis bonis infelix es ? Omni (b) venia caret hoc peccatum . Leno quidem concupiscentiam prætendere potest , fur paupertatem , homicida furorem . Tu vero quam dices invidentiæ tuæ caussam ? Nullam penitus , nisi tantum intensam nequitiam . Oro (c) te , quid invido delectationis præstat invidia , quem secretis quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse discerpit , & alienam felicitatem tormentum facit ?

PUNCTUM II. Et transfiguratus est ante eos. *Ibidem. Dum Christus terreni mollem corporis claritate cœlesti vestit , vivæ voce tanti operis altum ingeminat : venale (d) habeo : venale habeo. Quid Domine ? Regnum Cœlorum. Quo emitur ? paupertate Regnum ; dolore gaudium ; labore requies ; vilitate gloria ; morte vita. Jam perge (e) murmurare , & dicere : longum est , grave est , non possum tam gravia & diuturna portare .*

Cer-

Certe necdum a Judæis, quinques quadragenas, una minus, accepisti: necdum plus omnibus laborasti: necdum usque ad sanguinem restitisti. *In cœlo est, quidquid amare, & desiderare poteris.* Si (f) delectat pulchritudo: fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo: erunt similes Angelis Dei. Si longa & salubris vita: ibi est fana æternitas, & æterna sanitas.

PUNCTUM III. Et resplenduit facies ejus sicut sol. *Ibidem. Patris Sapientia, non algida lunæ mutabilis luce, sed igneo solis immutabilis splendore voluit clarescere: quia sapiens permanet ut sol; stultus autem, sicut luna mutatur. Eccles. 27. Quia luna (g) splendet sine fervore, nec nisi mutuato lumine illuminat, nec unquam in eodem statu permanet: sed crescit, extenuatur, & penitus non comparet.* Sic (h) qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli: secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero solis splendor igneus, & stabilis est. Sic sapientis ardor internus,

fo-

foris lucet : ut quos verbo illuminat ,
bono exemplo incendat. *Hunc , non lu-*
nam imitere. Gravior (*i*) enim tua , quam
lunæ mutatio est. Luna defectum lu-
minis patitur ; tu salutis.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Respondens autem Pe-
trus dixit ad JEsum : Domine , bonum
est nos hic esse. *Ibidem.* O Petre ! quo-
modo bonum est nos hic esse ? immo (*k*) ve-
ro molestum est , grave est , periculosum
est. Nimirum , ubi malitiæ plurimum ,
sapientiæ modicum , si tamen vel mo-
dicum invenitur. Ubi viscosa omnia ,
omnia lubrica , operta tenebris , obfessa
laqueis peccatorum. Ubi tantum vani-
tas , & afflictio spiritus est. *Ubi* præ-
occupatum (*l*) secularibus desideriis ani-
mum delectatio sancta declinat : nec
enim misceri poterunt vera vanis , æter-
na caducis ; spiritualia corporalibus : ut
pariter sapis quæ sursum sunt , & quæ
super terram. Felices illi , qui soli jam
Deo vivunt , soli vacant : intelligendo ,
diligendo , fruendo.

PUNCTUM II. Si vis , faciamus hic tria ta-
ber-

bernacula. *Ibidem.* *Noli mirari importunum Petri desiderium: cum Christo manere cupiebat. Sed tua mirare vota, corrige desideria.* Amor (m) præsentis seculi dicit: O! quam delectabilis terra in floribus, in fructuum suavitatibus &c. in equorum, & canum cursibus, in cervorum saltibus &c. in domorum pictis muris, & laquearibus &c. in musicorum cantibus. &c. In pretiosis vestibus, auro, gemmis, monilibus. Amor Cœlestis Patriæ respondet: Si te ista delectant, quæ sub Cœlo sunt; cur non magis ea delectant, quæ super Cœlos sunt? Si carcer ita pulcher est; Patria, Civitas, & domus qualis erit? Si talia sunt, quæ hic incolunt peregrini; qualia sunt, quæ ibi possident filii? *Quæ tu ex his eligis?*

(a) Ex S. Greg. Nyss. (b) S. Chrysost. hom. 40. ad pop. (c) S. Hieronym. (d) S. Augustin. in psal. 93. (e) S. Bernard. (f) Hugo. (g) Ex S. Bern. (h) Idem. (i) S. Ambr. (k) S. Bernar. Serm. 6. de Ascen. (l) Idem ibidem. (m) S. August. de conflict. vir.

DOMINICA III.

QUADRAGESIMÆ.

Dæmonium mutum ejicitur.

Mane.

PUNCTUM I.

ERAT JESUS ejiciens dæmonium, & il-
lud erat mutum. *Luc. 11.* Si quis
coram Conscientiæ suæ arbitro, aut nævos
animæ, aut pravarum passionum habitus
candide aperire erubescit; heu quam infelix
est! a dæmonio muto miserrime possidetur.
Novit (*a*) omnia Dominus; sed expe-
ctat vocem tuam, non ut puniat, sed
ut ignoscat. Non vult, ut insultet tibi
diabolus, & celantem te peccata tua ar-
guat. Præveni accusatorem tuum. Si
te ipse accusaveris, accusatorem nullum
timebis. Omnia (*b*) in confessione la-
vantur. Conscientia mundatur, pecca-
tum fugatur, tranquillitas reddit, spes re-
viviscit. Sit ergo devota cordis com-
punctio, vera oris confessio, discreta
carnis mortificatio, repentina vitiorum
extirpatio, læta bonorum operum exhi-
bitio.

PUN-

PUNCTUM II. Et cum ejecisset dæmonium , locutus est mutus. *Ibidem.* Ejicies damnosissimum hoc dæmonium , si Superiori , aut Patri tuo Spirituali nibil (c) clausum , ne conscientiam quidem propriam teneas ; sed de ea saepe rationem reddas : Si potiorem salutis , quam pudoris rationem habeas. Heu ! (d) cur erubescis confiteri , quod facere nequaquam erubuisti ? Cur (e) te pudet peccatum tuum dicere , quod non puduit facere ? aut cur erubescis Deo confiteri , cuius oculis non potes abscondi ? Quod si forte pudor est tibi uni homini , & peccatori peccatum tuum exponere ; quid facturus es in die judicii , ubi omnibus exposita tua conscientia patebit ?

PUNCTUM III. Quidam autem ex eis (nempe Phariseis) dixerunt : in Belzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonia. *Ibidem.* O quot hodie invenias pharisaico supercilio homines , qui de omnibus male iudicant ! Dicunt enim , (f) si quis studet humilitati , hypocrita est ; si patientiæ , timidus est ; si justitiæ , impatiens est ; si simplicitati , fatuus est ; si prudentiæ ,

malitiosus est ; si silentio , & paci, dissimilator est ; si aliorum correptioni, præsumptuosus est. Si instat vigiliis, indiscretus est ; si dormitioni, somnolentus est ; si prædicationi, laudis appetitor est ; si desistat, negligens est. Si habet gratiam hominum , adulator est ; si adulari renuit , superbus est. Nolite, (g) nolite ante tempus judicare , donec veniat Dominus , qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum. *Ibidem.* Cape (h) Christi Divinitatis insignia : aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse. *Nunquam (i) sis securus de tua conscientia :* quod nos latet, æternum arbitrum latere non potest. *Cum vero tumulta lateant ; cave, temere judices ; cave, dicta, facta proximorum cavilleris.* Cave, (k) alienæ conversationis esse, aut curiosus explorator , aut temerarius judex. Etiam si perperam actum quid depredandes , nec sic judices ; magis au-

tem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes. Puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Religiosus, qui aliena curat, sibi deest.

B. P. N.

PUNCTUM II. Omne Regnum in se divisum desolabitur. *Ibidem.* *Fure merito* sex sunt, quæ odit Deus, & septimum detestatur anima ejus: qui seminat inter fratres discordias. *Prov. 6.* Hinc (l) perpendant seminantes jurgia, quam multipliciter peccent: qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno, innumera peragunt: quia seminando discordiam, charitatem, quæ omnium virtutum Mater est, extinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis; nihil est delectabilius diabolo extinctione charitatis. Si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt; procul dubio satanæ sunt filii, qui confundunt. *S. Greg.*

- (a) *S. Ambr. L. 2. de Pœnit.* (b) *S. Bernar.*
- (c) *Ex Confit. p. 2. c. 2.* (d) *S. August.* (e) *S. Bern.* (f) *S. Greg. in moral.* (g) *1. ad Cor. 4.*
- (h)

(b) Chrysol. Serm. 50. (i) Ex V. Beda. (k) S.
Bern. Serm. 4. in Cant. (l) S. Greg.

DOMINICA IV.

QUADRAGESIMA.

Christus in deserto saturat quinque millia hominum.

Mane.

PUNCTUM I.

A Biit JEsus trans mare , & sequeba-
tur eum multitudo magna. *Joan.*
6. Multi (a) JEsum sequuntur usque
ad fractionem panis , pauci usque ad bi-
bendum calicem passionis. Sunt (b) qui-
dam mites : sed quamdiu nihil dicitur ,
vel agitur , nisi pro eorum arbitrio. Pa-
tebit autem quam longe fint a vera man-
suetudine , si levis oriatur occasio. Nos
(c) autem , propter veram mansuetudi-
nem currimus post te Domine JEsu , au-
dientes , quod non spernas pauperem ,
peccatorem non horreas. Tu non hor-
ruisti confitentem latronem , non lachry-
mantem peccatricem , non Chananaeam
supplicantem , non deprehensam in adul-

terio , non sedentem in telonio , non negantem discipulum , non persecutorem discipulorum , non ipsos crucifixores tuos . O Domine Iesu trabe nos post te , & curremus in odorem unguentorum tuorum !

PUNCTUM II. Unde ememus panes .
Ibidem. Scriptura Sacra , (a) a seculi oneribus ad se venientes pane verbi reficit secundum illud : non in solo pane vivit homo , sed in omni verbo , quod procedit de ore Dei . Quidquid , ad beatæ vitæ cænam prægustandam queritur , in scripturis sacris reperitur . Qui (e) laborat , inveniet ibi glorias , & promissiones vitæ perpetuæ : quas manducando , excitetur amplius ad opus . Qui pusillanimis est , & infirmus , inveniet ibi mediocres justitiæ cibos : qui etsi pingue animam non faciant , tamen mori non permittunt . Qui percussus a diabolo , & vulneratus a peccatis est , inveniet ibi medicinales cibos : qui eum per pœnitentiam revocent ad salutem . Ut quid ibi scriptum est : Achar propter furtum laminæ aureæ lapidatus est ; nisi ut

ut habeant fures , quod timeant ? Ut quid concupitores carnis castigati sunt in deserto ; nisi , ut nemo delicias concupiscat ? &c.

PUNCTUM III. Ut manducent hi. *Ibi aem.* *Quod olim manna , quod hodie panis Christi præsttit corporibus ; hoc præstat animæ , lectio Divinarum litterarum.* *Manna omnis saporis dulcedinem in justorum palato excitavit ; Verbum Dei (f) si tota illud fide & devotione susceperis , fiet tibi , quæcunque desideras.* Si tribularis , consolatur te dicens : Cor contritum , & humiliatum Deus non despicies. Si lætaris , pro spe futura cumulat tibi gaudium dicens : lætamini in Domino , & exultate justi. Si iracundus es , mitigat te dicens : desine ab ira , & derelinque furorem. Si in doloribus es , sanat te dicens : Dominus sanat omnes languores. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem , quemcunque volueris. Si (g) castitatis es cupidus , historiam Joseph assidue lege ; Si patientiam desideras , Librum Job intuere ; si mansuetudinem appetis , Moysen volve.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Accepit JESUS panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. *Ibidem.* *Qui pavit quinque virorum millia in deserto, innumera Christianorum millia bodie pascit in Venerabili Altaris Sacramento.* O (*b*) quam magna sublimitas! Creaturam manere in Creatore, facturam in Factore, redemptum in Redemptore, servum in Domino, peccatorum in Justo. Sed (*i*) necesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo, in cordis contritione mactemus: quia, qui Passionis Dominicæ Mysteria celebramus, debemus imitari, quæ agimus. Tunc corpus Christi vere hostia pro nobis erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus Deo.

PUNCTUM II. JESUS ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut facerent eum Regem, fugit. *Ibidem.* Quid (*k*) magis indignum? quid detestandum amplius? quid gravius puniendum? quam ut videns Deum Cœli honores fugientem, ultra apponat se homo magnificare super terram? intolerabilis impudentia est: ut ubi

ubi se exinanivit Majestas , vermiculus infletur , & intumescat. *Humilitatis passibus ad Regna Cælorum ascenditur.* Vis (l) fratrem tuum prævenire regnando in Cœlis ? prius eum præveni obsequendo in terris. Vis Divinitatis tenere fastigia ? humilitatis ima sectare. Humiliare (m) ut exalteris ; ne exaltatus humilioris. Qui sibi vilis videtur esse , ante Deum pulcher est ; qui sibi displicet , Deo placet. *Dives (n) es ? time furem.* *Aurum es ? sub terra late.* *Pretiosissimus rubinus es ? in petra te reconde.* *Fuge gloriam , & tunc glorie splendore fulgebis.*

(a) Th a Kemp. (b) S. Bern. (c) Idem Serm. 22. in Cant. (d) Ex S. Greg. (e) S. Chrysost. hom. 41. (f) Orig. hom. 7. in Exod. (g) Ex S. Basil. (h) S. Bern. Serm. 11. de Cœna Dom. (i) S. Greg. (k) S. Bern. Serm. 1. de Nat. (l) S. Ambr. (m) S. Aug. (n) Ex S. Cyril.

DOMINICA PASSIONIS.

*Christum contumeliis lacestum
Iudæi lapidare parant.*

Mane.

PUNCTUM I.

Quis ex vobis arguet me de peccato,
Joan. 8. Nihil (a) est jucundius, ni-

hil tutius , nihil ditius bona conscientia. Premat corpus , trahat mundus , terreat diabolus ; illa erit secura. Bona conscientia secura erit , cum corpus morietur : secura , cum anima coram Deo præsentabitur : Secura , cum utrumque in die judicii , ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur. Futuræ benedictionis non est certius testimonium bona conscientia. Mundus omni volubilitate circumrotetur , ploret , rideat , pereat , transeat ; nunquam marcescet bona conscientia. *Ex adverso vero* , nulla (*b*) est major afflictio , quam conscientia delictorum. Cum exterius patitur homo , ad Deum confugit ; sed malæ conscientiæ tribulationem perferens , in arcano cordis non invenit Deum : ubi igitur consolationem inveniet ? ubi requiem perquirit. ?

PUNCTUM II. Si veritatem dico vobis , quare non creditis mihi ? *Ibidem*. Nullæ (*c*) sunt majores divitiæ , nulli thesauri , nulli honores , quam sit fides Catholica : quæ peccatores salvat , fideles justificat , pœnitentes reparat , Martyres coronat. *Quid ergo ait* : quare non

cre-

creditis mihi ? cum totus jam mundus id
credat ? An non (*d*) ipsi quoque dæmo-
nes & credunt , & cotremiscunt ? Sed
dico : putasne Filium Dei reputat JE-
sum , quisquis ille est homo , qui ipsius
nec terretur comminationibus ? nec at-
trahitur promissionibus ? nec præceptis
obtemperat ? nec consiliis aquiescit ?
Tunc (e) anima recte Deo credit , cum non
secundum carnem , nec secundum seipsum ; sea
secundum Deum vivit.

PUNCTUM III. Qui ex Deo est , verba
Dei audit. *Ibidem. Gustum , quem ex Sa-*
cra Scriptura percipis , serio expende : &
an ex Deo sis ? pervidisti. Multis præpla-
cet Cicero , quam sermo Dei de Deo vero.
Tenenti (*f*) Sacrum Codicem somnus
obrepat , & cadentem faciem Pagina san-
cta suscipiat. Assidua (*g*) Sacrarum le-
ctio Scripturarum , Divinæ est non par-
va præcognitio Beatitudinis. In his ,
quasi in speculo homo seipsum considerare potest : qualis sit ? quo tendat ? ha-
rum lectio assidua purificat omnia : ti-
morem incutit gehennæ , ad gaudia su-
perna cor instigat. Hoc (*b*) veritatis

speculum nemini blanditur , nullum seducit. Ibi (*i*) sentimus , quantum proficimus : ibi , a profectu quam longe absimus.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu , & dæmonium habes. *Ibidem*. Ecce (*k*) injuriam suscipiens Deus , non contumeliosa verba respondet : *Ut tu appetitus calumnia , reminiscaris* (*l*) *eorum , quæ in veram Sapientiam a Judæis jaçtata sunt*. Nondum condemnatus es , nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda , ut ad ejus imitationem pervenias. *Responsio mollis frangit iram*. *Convitum convitio reddere muliebre est*. *Nihil contumeliam inferentem magis excruciat , quam contumelia affecti taciturnitas*. Non (*m*) movetur per convitia , qui abundat bonorum operum conscientia. *Qui cito movetur injuria , facit se dignum contumelia , dum vult ea indignus probari*. Melior est qui contemnit injuriam , quam qui dolet. *S. Ambr.*

PUNCTUM II. Respondit JESUS : Ego Dæmonium non habeo. *Ibidem*.

lin-

linguae derogantium corrigi nequeunt, (n) æquanimiter sunt perferendæ. Contumeliam intulit iratus? leni responso vinces. Vinces silentio. Noli (o) mali mutui restitutor esse. Noli tuo adversario pro Magistro uti; noli æmulari, quem odio prosequeris; neque fieri speculum irati velis. Rubicundus ille est ob iram? tu minime ruborem præferas. Sunt illi sanquinei oculi? tui quiete, & cum gravitate aspiciant. Vox illi aspera est? tibi sit mitis, & blanda; immo potius nulla. Religiosus iracundus fulmen est inferni cuncta perturbans. *B. P. N.*

(a) S. Bern. L. de Conscien. (b) S. Gregor. in ps. 143. (c) S. August. Serm. 1. de verb. Apost. (d) S. Bern. (e) Ex S. August. (f) S. Hier. (g) S. August. Serm. 112. de temp. (h) S. Bern. Serm. 1. de 7. panibus. (i) S. Gregor. L. 2. moral. (k) Idem. (l) S. Basil. homil. de ira. (m) Ex S. Ambr. (n) Ex V. Beda. (o) S. Basil. hom. de ira.

DIE VENERIS

ANTE DOMINICAM PALMARUM.

Seu die decima ante Renovationem Vo-

to-

torum. Vide post Dominicam IV.
Adventus Diem XXIII. Decembr.

PRIDIE DOMINICÆ PALMARUM.

Seu die nona ante Renovationem Vo-
torum. Vide Diem XXIV. Decemb.

DIE OCTAVA

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Seu

DOMINICA PALMARUM.

De Paupertate.

Mane.

PUNCTUM. I.

CUM appropinquasset JESUS Jerosoly-
mis. Matth. 21. Intuere pauperem
Cæli, terræque Dominum, pedestri itinere,
aperto capite, vili indutum tunica Jero-
lymis appropinquantem: ut tanti Magistri
exemplo, ad amorem veræ paupertatis ac-
cedaris. Veram autem paupertatem opor-
tet esse expeditam: Si vis perfectus
esse, vade, vende omnia quæ habes.
Matth. 19. Deinde nudam: quid mi-
hi est in Cælo, & a te quid volui super-
ter-

terram? *ps. 72.* *Tertio* patientem: patientia pauperum non peribit in finem. *psal. 9.* *Quarto* confidentem: tibi derelictus est pauper. *ps. 34.* *Quinto* securam & minime solicitam: ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei. *ps. 39.* *Nam,* qui immodice solliciti sunt, horum venter
(a) Deus est, pulmo templum, Sacerdos coquus: horum tota charitas in caccabis fervet; tota fides in culinis callet; tota spes in ferculis jacet. *Tertull.*

PUNCTUM II. Tunc misit duos discipulos suos. *Ibidem.* *De vana mundi gloria, ambitione, & superbia triumphaturus,* pro triumphali curru asinam deligit; insanos divitium sumitus damnaturus, ramis arborum, & vestimentis pauperum contentatur. Si (b) amore Christi, integre renuncies seculo, & pompis ejus, major es honoribus mundi, & regnis ejus. O (c) felicitas magna Christianorum! quibus datum est, ut paupertatem faciant premium Regni Cœlorum. Nihil ea potest ditius inveniri: Cœlum emit. Hujus
(d)

(d) opes sunt in paupertate; possessio in peregrinatione; Gloria in contemtu; potentia in infirmitate. Ut quid ergo (e) cunctamur abjicere omnes spes miseris, vanas, inutiles, seductorias, & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ, tota devotione animi inhærere? Evangelica hæc (f) paupertas nostri Ordinis fundamentum est: ut ipsius firmitate firmetur, eversione evertatur.

PUNCTUM III. Dominus his opus habet. *Ibidem.* Nudi (g) nati sumus, nudi etiam morituri. Quidquid hic inventitur, hic relinquetur; non est nostrum, quod non semper nostrum est. Tanquam peregrini sufficienti usu contenti simus. Injustum (h) est eas divitias putare, quæ non auferunt egestatem. Tanto quisque ardebit egestate, quanto magis eas diligens, majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia? quæ amatribus suis non adferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed extendit. *Dives (i) terrena esurit ut men-*

mendicus ; pauper contemnit ut Dominus.
Non est pauper , qui paupertatis non sentit incommoda. B.
P. N.

Die eadem Vesperi.

De Obedientia.

PUNCTUM I. Euntes autem Discipuli fecerunt , sicut præcepit illis JESUS. *Ibidem.* Alacritas (k) in animo , serenitas in vultu , dulcedo in sermone , multum colorant obedientiam. Quis enim locus obedientiae , ubi tristitiae cernitur ægritudo ? ostendunt plerumque voluntatem animi , signa exteriora. Difficile est vultum non mutare , qui voluntatem mutat. Fidelis (l) obediens nescit moras , fugit crastinum , ignorat tarditatem , præit præcipientem : parat oculos visui , aures auditui , linguam voci , manus operi , itineri pedes , totumque se colligit , ut imperantis colligat voluntatem. Nescit (m) judicare , quisquis perfecte didicit obedire. Salutare (n) crede , quidquid Superior præcepit cuius officii est obedire dicente Moyse : audi Israel , & tace.

PUNCTUM II. Et adduxerunt asinam.
Ibidem. Firmiter (*o*) teneant omnes, cum Superioris voluntatem exequuntur, se errare non posse; sed rem tunc Deo gratissimam facere: cum se ferri ac regi a Divina providentia per Superiores suos sinere debeant, ac si asellus ille, cui Christus in die Palmarum infedit, essent, qui quocunque se agi, ac duci finebat. Perfecta (*p*) obedientia legem nescit, terminis non arctatur; neque contenta terminis professionis, largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis. Ex (*q*) radice superbiæ, nascitur culpa inobedientiæ. Non est obediens, qui proprium sequitur judicium. *B. P. N.*

(*a*) Tertull. contra Psychicos. (*b*) Ex S. Cypriano. (*c*) S. August. (*d*) S. Greg. Nazian. (*e*) S. Bernar. Serm. 9. in ps. (*f*) S. Franc. Seraphic. (*g*) S. Hieron. (*h*) S. Aug. (*i*) Ex S. Bern. (*k*) Ex Eodem. (*l*) Idem de virt. obed. (*m*) S. Greg. L. 2. in L. 1. Reg. (*n*) S. Hieronym. Epist. ad Rust. (*o*) Const. p. 2. c. 2. (*p*) S. Bern. (*q*) S. Greg.

DIE SEPTIMA

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Feria II. Majoris Hebdomadæ.

De Castitate.

Mane.

PUNCTUM I.

Domus impleta est ex odore unguenti. *Joan. 12.* *Habent (a) casti mores colores suos, habent & odores: odorem in fama, colorem in conscientia.* Colorem casto operi dat ejus bonitas, & puri cordis intentio; odorem modestiae, & pudicitiae virginalis exemplum. *Castus lilyum est in se candidum, sed proximo odoratum: Proximo enim famam, nobis providemus conscientiam.* Flos (*b*) est iste Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiae spiritualis, læta indeoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. *O tenerrime flos! millenis circumsepiris aculeis; cave, credas: cave, præfidas.* Non est castus, qui ca-

stitatis hostes illico non fugit.
B. P. N.

PUNCTUM II. Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis ? *Ibidem.* *Multo acrior, multo vehementior est cupiditas corporum, quam pecuniarum.* *Hæc tamen prostravit Discipulum Christi ; tu illius pericula non devitas ?* De (*c*) longe vidit illam David , de qua captus est. Mulier de longe , libido prope. Nunquid tu fortior David , Salamone sapientior ? Si illos tam sanctos viros incauta familiaritas mulierum & perniciosa blandimenta vicerunt ; quid de se cogitant , qui ita conversari nec metuunt , nec erubescunt ? Ligabit (*d*) quis ignem in sinu , vestimenta autem non comburet ? **cave ergo & tu , ne intra sinum tuæ mentis libidinem accendas.**

PUNCTUM III. Sinite illam , ut in diem sepulturæ meæ servet illud. *Ibidem.* *Quousque vivimus , sine tentatione esse non possumus : quia (*e*) concupiscentia , cum quan- nati sumus , finiri non potest , quamdiu vivimus.* **Quotidie minui potest , finiri non**

non potest. *Hanc coercendi modum porrigit Apostolus* : Castigo corpus meum. Quasi dicat : (f) multum sustineo laborem, ut caste & sobrie vivam. Siquidem intractabilis est cupiditas : verum tamen eam cohibeo ; nec trado me ipsum affectibus , sed affectus comprimo. Castigo corpus meum , & in servitutem redigo. Non dixit , perdo , & punio ; sed castigo , & redigo : quod Domini est non hostis ; Magistri , non inimici ; exercitatoris , non adversarii. Quod si Paulus hoc timuit , cum talis esset Præceptor , & post prædicationem , & orbis terrarum suscepimus patrocinium formidavit ; quidnam nos dicemus ?

Die eadem Vesperi.

De Disciplina Regulari.

PUNCTUM I. Pauperes semper habebitis vobiscum. *Ibidem.* Perniciosa (g) paupertas , penuria meritorum ; *damnoſa abundantia , frequentia tepidorum.* Sane (h) invenire est homines pusillanimes , & remissos ; quorum remissa lætitia pusillanimis tristitia est : quorum brevis &

rara compunctio , animalis cogitatio , tepida conversatio ; obedientia sine devotione , sermo sine circumspectione , oratio sine cordis attentione , lectio sine adficatione . *Horum singulus admodum pauper , cæcus , & nudus esse apprehenditur.* Pauper (*i*) utique , quia virtutum divitias non habet : cœcus , quia nec paupertatem , quam patitur , videt : nudus , quia primam stolam perdidit ; sed pejus , quia nec perdidisse se cognoscit .

PUNCTUM II. Me autem non semper habebitis. *Ibidem.* Magna (*k*) ars est , scire cum JEsu conversari , & scire JESum tenere magna prudentia . *Ecce Dominus noster exultavit ut Gygas ad currentiam viam perfectionis ! hunc ita currentem nemo apprehendit , qui & ipse pariter non currit.* Quod si (*l*) Domino currente tu gradum sistis ; non Christo appropias , sed te magis elongas . Immo timendum tibi est , quod ait David : Ecce qui elongant se Domine a te , peribunt . Itaque si proficere currere est , ubi proficere , ibi & currere desinis . Ubi vero non cur-

currere, ibi & deficere incipis. Sanctæ vitæ ratio progressu gaudet, & crescit; cessatione torpescit & deficit. Quotidianis, ac recentibus virtutum incrementis mens instauranda est, & hoc vivendi iter non de transacto, sed de reliquo metiendum.

(a) S. Bern. Serm. 71. in Cant. (b) S. Cyprian. (c) S. August. (d) S. Ambr. (e) S. Aug. L. de Continent. (f) S. Chrysost. de castig. corp. (g) S. Bern. Serm. 68. in Cant. (h) Idem Serm. 6. de Ascens. (i) S. Gregor. (k) Thom. a Kemp. L. 2. c. 8. (l) S. Bernar.

DIE SEXTA ANTE RENOVATIONEM VOTORUM. Feria III Majoris Hebdomadæ.

De Peccato.

Mane.

PUNCTUM I.

Crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. *Ad Rom. 6.* Agnosce (a) o homo! quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam; nunquam pro

eorum remedio Dei Filius moreretur. Reminiscere, (b) quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, splendor, & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem, ad lutum tuum factus homo: ut destruat corpus peccati. Reminiscere illius (c) infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, temptationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Reminiscere convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, clavorum, horumque similium: quæ ad delendum peccati chirographum pati dignatus est; & ex his gravitatem peccati metire.

PUNCTUM II. Væ qui trahitis iniquitatem. *Isa. 5.* Unum (d) est summum bonum, aliud autem summum malum: hoc est peccatum, illud Deus. Illud propter quod appetenda sunt bona cetera, ipsum autem propter seipsum: hoc, propter quod declinanda sunt mala cetera, ipsum autem propter seipsum. Væ his, (e) qui protrahunt peccatum suum; vae,

quorum manus connectunt iniquitatem. Non vis modo disrumpere vincula tua? quia non sentis vincula tua: etiam delectant te, & voluptati sunt? senties in fine. Non cogitas præcidere, quod male texuisti? sed addere, producere, in longum pretendere? ut habeas in fine, unde tibi ligentur manus, & pedes, & projiciaris in tenebras exteriore.

PUNCTUM III. Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. 2. Petri 2. Noli (f) peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita o homo! graviorem esse culpam post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam; molestius hominem sordidari post gratiam. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat. Sanitate indignus est, qui semet ipsum postquam curatus est, vulnerat. Mundari non meretur, qui se post gratiam sordidat. Grave est hominem instructum delinquere; gravius absolutum peccare. Impossibile (g) est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam

donum cœleste , & participes facti sunt
Spiritus Sancti - - & prolapsi sunt ,
rursus revocari ad pœnitentiam. *Ad He-
bræos 6.*

Die eadem Vespri.

De extremo Judicio.

PUNCTUM I. Dominus prope est. *Ad Philip.* 4. Instat (*b*) jam tempus red-
dendæ rationis. Non longe a fine ab-
sumus ; sed jam mundus properat : hoc
bella , hoc afflictiones , hoc terræ mo-
tus , hoc extincta charitas significat.
Unusquisque (*i*) cernet ante faciem suam
exposita opera sua , sive bona , sive ma-
la præmisit. Formidabiles libri aperien-
tur , in quibus scripta sunt opera nostra ,
& actus , & verba , & quæcunque egi-
mus in hac vita : nec solum actus , sed &
cogitationes , & intentiones cordis. Quid
(*k*) tunc nobis miseris fiet , cum omnia
facta in tam aperto , tamque illustri thea-
tro denudata , hominum partim nobis
cognitorum , partim ignotorum oculis
subjicientur ? erubescet (*l*) luna , & con-
fundetur sol. Vix justus salvabitur : heu !

mi-

miser peccator sic deprehensus, quo fugiet?

PUNCTUM II. Judicium sedebit. *Daniel.* 7. Time (*m*) scrutinium judicis, time illum, qui per Prophetam dicit: Scrutabor Jerusalem in lucernis. Unum est: si nos ipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto, Divinoque judicio subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ judicatus praesentari, non judicandus. Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona. Scrutabor vias meas, & studia mea: quo is, qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, nihil indiscutsum inveniat.

(*a*) S. Bernar. Serm. 3. in Nativ. Dom. (*b*) Ex Eodem. (*c*) Idem Serm. de quadruplici bono. (*d*) S. Aug. (*e*) Ex Eodem. (*f*) S. Chrysost. hom. de lapsu prim. hom. (*g*) Ad Hebr. 6. (*h*) S. Chrysost. (*i*) S. Ephrem de vera pœn. (*k*) S. Ambr. (*l*) Isai. 24. (*m*) S. Bern.

DIE QUINTA

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Feria IV. Majoris Hebdomadæ.

De infelici æternitate.

Mane.

PUNCTUM I.

Discedite a me maledicti in ignem æternum. *Matth. 25.* O infelix (*a*) æternitas damnatorum ! anima illic posita , bene esse perdit ; & esse non perdit. Quia ex re semper cogitur , ut & mortem sine morte , & defectum sine defectu , & finem sine fine patiatur : quatenus ei & mors immortalis fit , & defectus indeficiens , & finis infinitus. Quia (*b*) & mors semper vivet , & finis semper incipiet , & defectus deficere nesciet. Mors perimet , & non extinguet : dolor cruciabit , & pavorem non fugabit : flamma comburet , sed tenebras non discutiet. Erit enim in igne obscuritas , in obscuritate pavor , in combustione dolor.

PUNCTUM II. Ibunt hi in supplicium
æter-

æternum. *Ibidem.* Non vivendi (*c*) sensum habituri sunt, sed dolendi: quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus torquent animam, non extorquent; puniunt damnata corpora, non finiunt. Ignis ille (*d*) una eademque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recremabit: & quantum e corporibus absumet, tantum reponet: ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. *O æternitas!* quam amara est memoria tua, quam formidolosa! Horreo, (*e*) horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis.

PUNCTUM III. Ibi erit fletus, & stridor dentium. *Matth.* 13. Sæviens (*f*) gehenna magno plangentium murmure & gemitu, sæva semper incendia expirat. Ita (*g*) reprobi ignibus inferni traditi, in suppliciis dolorem sentient, & in doloris angustia pavore ferientur, & semper tolerabunt, & semper timebunt: quia sine fine semper cruciati vivent, sine spe vitæ, & misericordiæ. Si enim post tot millia annorum, quot capillos ha-
bue-

buerunt omnes, quicunque fuerunt in mundo homines, & erunt, pœnas suas finiri sperarent: multo levius eas sustinherent. Sed quia spem non habent, nec habebunt: desperatione deficient, & ad tormenta non sufficient. S. Aug. *O quam longa, quam profunda, quam immensa, quam misera est damnatorum Domina, vivens semper æternitas!*

Die eadem Vesperi.

De felici æternitate.

PUNCTUM I. Venite benedicti Patris mei. Matth. 25. (b) O Regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam palecit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit! Quanta (i) erit illuc felicitas, ubi nullum erit malum, nullum desiderabitur bonum. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit Deus, & qui se ipsum, quo melius, & majus nihil potest esse, promisit. O beata æternitas! tu es abyssus gaudiorum, abyssus temporum, abyssus

fus seculorum. Tempora tua, gaudia tua, secula tua finem non habent, mensuram ne-
sciunt. Regni tui, felicitatis tuæ, gloriæ
tuæ nunquam exitus invenitur. O chara(k)
veritas! vera æternitas, æterna felici-
tas Deus meus!

PUNCTUM II. Possidete paratum vo-
bis Regnum. *Ibidem.* Pro (l) paucis an-
nis laboris, omnium nobis seculorum
regna reddentur. Nullus (m) labor du-
rus videri debet, nullum tempus lon-
gum, quo gloria æternitatis aquiritur.
O gloriosa, o sempiterna felicitas! non est
(n) in te corruptela, nec defectus, nec
senectus, nec ira; sed pax perennis,
gloria solennis, lætitia sempiterna. Non
est in te heri, nec hesternum, sed idem
hodiernum. Nullus in te timor, tristi-
tia nulla. Desiderium omne transit in
gaudium: dum præsto est, quidquid
optatur, & abundat, quidquid deside-
ratur. Ipsi vero, qui redempti fuerint
a Domino, quam devote confitebuntur,
& dicent: quam bonus Israel Deus!
*Sed beata æternitas a morte pendet, mors
a vita, hæc a momento.* Elige. *Vixisse*
se-

*semel in Cælo, periisse semel in baratro,
æternum est.*

(a) S. Greg. (b) S. Aug. (c) Prosper L. 2:
de vita contempl. (d) Lactan. (e) S. Bern. (f)
S. Cypr. (g) S. Aug. (h) Idem in soliloqu c. 35.
(i) Ex Eodem. (k) Boetius. (l) S. August. (m)
S. Hieronym. (n) S. August.

DIE QUARTA ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Feria V. Majoris Hebdomadæ.

*De Venerabili Eucharistiæ Sacra-
mento.*

Vide Festum Corporis Christi; vel Do-
minicam infra Octavam ejusdem.

DIE TERTIA

ANTE RENOVATIONEM VOTORUM.

Feria VI. Majoris Hebdomadæ.

*De amarissima JESU Christi
Passione.*

Mane.

PUNCTUM I.

VULneratus est propter iniquitates no-
stras. *Isai. 53.* Mirabilis (a) Pas-
sio tua Domine JESU, quæ passiones om-
nium

nium nostrum propulsavit. In hac Paſſione, tria ſpecialiter convenit intueri: opus, modum, cauſam. In opere pa-tientia, in modo humilitas, in cauſa charitas commendatur. Agnosce (*b*) o homo! quantum valeas? & quantum debeas? & dum tantam redemtionis tuæ perſpicis dignatatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Ecce! pro impio pietas flagellatur; pro ſtulto ſapientia illuditur; pro mendace veritas necatur: damnatur iuſtitia pro iniquo; miſericordia affligitur pro crudeli; pro miſero repletur ſinceritas aceto; inebrιatur fel-le dulcedo; addicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo. Da (*c*) Domine JEſu, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

PUNCTUM II. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Ibidem.* Oblatus (*d*) eſt, non quia meruit, non quia iudaeus prævaluit; ſed quia ipſe voluit. Voluntarie ſacrificabo tibi Domine: quia voluntarie oblatus es pro mea ſalute, non pro tua neceſſitate. Sed quid nos offerimus,

aut

aut quid retribuimus illi , pro omnibus ,
 quæ retribuit nobis ? Ille pro nobis ob-
 tulit hostiam , quam habuit pretiosiorem :
 nimirum , qua pretiosior esse non po-
 tuit . Et nos ergo faciamus , quod pos-
 sumus , optimum quod habemus offeren-
 tes illi : quod sumus utique nosmetipsi .
 Ille seipsum obtulit : tu quis es , qui te
 offerre cunctaris ? Quis mihi tribuat ,
 ut oblationem meam dignetur Majestas
 tanta suscipere ? Duo minuta habeo
 Domine : corpus & animam dico : uti-
 nam hæc tibi perfecte possim in Sacrifi-
 cium laudis offerre !

PUNCTUM III. Attritus est propter
 scelera nostra. *Ibidem.* Domini (*e*) in-
 juria , nostra est gloria. Ille mortuus
 est , ut nos viveremus. Ille descendit
 ad inferos , ut nos ascenderemus in cœ-
 lum. Ille se de plenitudine , & de for-
 ma Dei evacuavit formam servi acci-
 piens , ut in nobis habitaret plenitudo
 Divinitatis , & Domini fieremus e ser-
 vis. Ille pependit in ligno , ut pecca-
 tum quod commiseramus in ligno scien-
 tiæ , ligno deleret appensus. Ille factus
 est

est maledictio, factus inquam, non natus: ut benedictiones, quæ promissa erant Abrahæ, ipso authore transferrentur ad Gentes. Venit (*f*) suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes: humana querere, praestare Divina: accipere injurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Confige timore tuo carnes meas. *ps. 118.* His (*g*) configitur clavis, qui mortificationem JEsu in corpore suo portat. His clavis configitur, qui meretur audire dicentem JEsum: Pon me, ut signaculum, in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum. Infige ergo pectori tuo, & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi; infige & brachio tuo: ut opera tua peccato mortua sint. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt: quia valida est, ut mors, dilectio. His clavis charitatis configatur anima nostra, ut & ipsa dicat: vulnerata charitate ego sum; absit mihi gloriari, nisi in Cruce

Domini nostri JEsu Christi , per quem
mihi mundus crucifixus est , & ego mun-
do.

PUNCTUM II. Adimpleo ea , quæ de-
sunt Passionum Christi in carne mea. *Ad*
Coloff. 1. Quid (*b*) adimpleo ? quæ de-
sunt. Cui desunt ? Pressurarum Christi.
& ubi desunt ? in carne mea. Nun-
quid aliquid pressurarum deerat in illo
homine , quod factum est Verbum Dei,
natum ex Maria Virgine ? Passus enim
est , quidquid pati deberet ; & videtur,
quod omnia : in Cruce enim positus ac-
cepit acetum in ultimo , & ait : Perfe-
ctum est. Quid est , perfectum est ?
jam de mensura Passionum nihil deest :
quia omnia , quæ de me scripta sunt ,
completa sunt. Ergo impletæ erant om-
nes Passiones ; sed in capite : restabant
adhuc Christi Passiones in corpore : vos
autem estis Corpus Christi , & membra.
In iis ergo membris cum esset Aposto-
lus , dixit : Adimpleo , quæ desunt pres-
surarum Christi in carne mea. Nescit

lu-

lucrari Christum , qui nescit pa-
ti pro Christo. *B. P. N.*

(a) S. Bernar. (b) S. Aug. Serm. 114. de
Temp. (c) S. Franc. (d) S. Bernar. Serm. 3. de
Purif. B. V. (e) S. Hier. (f) S. Petr. Chrysol. (g)
S. Ambr. (h) S. Aug. in ps. 86.

PRIDIE RENOVATIONIS VOTORUM.
Sabbato Sancto.

De Amore DEI.

Mane.

P U N C T U M I.

SIC Deus dilexit mundum , ut Filium suum Unigenitum daret. *Ioann. 3.* Dilexit (a) impios , ut faceret pios : dilexit injustos , ut faceret justos : dilexit ægrotos , ut faceret sanos. Si pigri eramus ad amandum ; non simus pigri ad redamandum. Prior amavit , sed ini- quitatem solvit : iniquos amavit , sed non ad iniqutatem congregavit : ægrotos amavit , sed sanandos visitavit. Ad hoc nos dilexit , ut diligamus eum. O pie (b) Domine ! quid tibi ego sum , ut amari jubeas te a me ? quid , ut mineris mibi ingentes miserias , & irascaris , si non

faciam? multa autem promittas, si faciam?
& quid est amor meus? quid delectaris in eo? Deus (*c*) charitas est: quid ergo charitate melius? & qui manet in charitate, in Deo manet: quid ergo charitate securius? & Deus in eo: quid ergo charitate jucundius?

PUNCTUM II. Deus charitas est I.
Joan. 5. Legi: quia (*d*) Deus est charitas, & non quia honor est, vel dignitas. Legi: non quia honorem non vult Deus, qui ait: Si ego Pater, ubi est honor meus? Sed si Sponsum exhibeat, puto, quia mutabit vocem, & dicet: Si ego Sponsus, ubi est amor meus? nam & ante ita locutus est: Si ego Dominus, ubi est timor meus? exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Quid in his præstat? quid eminet? nempe amor. Absque hoc, & timor poenam habet, & honor non habet gratiam. Servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Qui de amore non venit honor; non honor, sed adulatio est.

PUNCTUM III. Qui diligit me, diligitur

tur a Patre meo. *Ioan. 14.* Quid (e)
jucundius, quam Dei Patris, & Domini
per amorem reconciliatio? quam veritatis
revelatio? quam errorum agnitio? quam
tantorum retrocriminum venia? Alii (f)
aurum, alii argentum, alii mensas deli-
catas in pretio habeant: Ego vero Chri-
stum amplissimarum opum instar duco.
Cum (g) amor Christi, totum absorbuit
affectum hominis: ut nil, nisi solum
JEsum Christum, & ea, quae sunt JE-
su Christi, sentiat; tunc demum in eo
perfecta est charitas. Non est onerosa
ei paupertas, iste non sentit injurias,
ridet opprobria, contemnit damna, mor-
tem lucrum deputat. (h) Felix con-
scientia illa, in cuius corde præter amo-
rem Christi, qui est Sapientia, Casti-
tas, Patientia, atque Justitia, nullus
alius versatur amor.

Die eadem Vesperi.

De Dilectione Proximi.

PUNCTUM I. Diliges proximum tuum,
 sicut te ipsum. *Mattb. 23.* Amorem
 (i) nostrum erga proximum plus bona

opera loquantur, quam lingua: ut in ipso bono opere proximus se amari videat, & quum tantum non possumus, quantum volumus operari, Omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficient. Vera (*k*) charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat: in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in temptationibus tutissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima est. Charitas (*l*) alias parturit, quum aliquis infirmatur: alias curat ædificare: alias contremiscit offendere: ad alias se inclinat: cum aliis erigit: aliis blanda, nulli inimica, omnibus Mater.

PUNCTUM II. Qui odit fratrem suum, homicida est. I. *Ioan. 3.* Qui (*m*) invidet, qui odit, non alium prius, quam se ipsum occidit. Qui exultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus; alieno proximum, se suo perimit gladio. Vitam (*n*) animæ culpa poluit; servatus contra proximum dolor occidit. Dolus (*o*) & odium est obstinata infania, obstinatus dæmon. Non ergo

ergo (*p*) habeamus cor intinctum odio: ne filii Judæ proditoris simus: ne cum eo suspendamur: ne a diabolo pariter cum eo trahamur ad tartara. Qui odium in corde portat, secundus diabolus est: & qui pacem impedit, Antichristus est: & qui pacem ordinat inter fratres, revera filius Dei est. *S. August.* Qui in Religione pacem vult habere cum fratribus, nemini contradicat. *B. P. N.*

- (*a*) *S. August.* (*b*) *Ex Eodem.* (*c*) *S. Bern.*
- (*d*) *Idem Serm. 83. in Cant.* (*e*) *Ex Tertull.* (*f*) *S. Nazianzen.* (*g*) *S. Bernar.* (*h*) *S. Hieronym.*
- Epist. ad Demetr.* (*i*) *S. Gregor. super Ezechiel.*
- (*k*) *S. August.* (*l*) *Idein de catechizand. rudibus.*
- (*m*) *S. Ambros.* (*n*) *S. Gregor.* (*o*) *S. Chrysost.*
- (*q*) *S. Aug. tom 10. Serm. 28.*

IN RENOVATIONE VOTORUM. DOMINICA RESURRECTIONIS.

Mane.

PUNCTUM. I.

Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata. *Marc.*
16. Opera misericordiæ, vera aromata sunt:

*quibus cogitationes , verba , & opera nostra
coniuntur. Quos (a) non potes opibus , consilio adjuva. Multo (b) misericordius operaberis circa animas infirmorum , quam circa corpora ægrotantium. Qui (c) esurientem pane verbi reficit , & sientem potu sapientiae refrigerat ; qui errantem in domum Patris revocat ; qui innocentem protegit ; qui infirmum fide , assumit , & confirmat ; qui tribulatione oppresso subvenit compatiendo , vel consolando ; veram misericordiam adimplet. Itaque pro virili tua : consule , plece , doce , solare , remitte , fer , ora : & omnia opera spiritualis misericordiae implevisi.*

PUNCTUM II. Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ? *Ibidem.* Moles (d) imposita sepulchro , ipsa vis est dura , malæ consuetudinis : qua premitur anima , & nec resurgere , nec respirare permittitur. Difficile (e) est peccati consuetudinem vincere. Pravus usus vix aboletur. Affidua consuetudo vitium in naturam convertit. Sed age ! generosa resolutione revolve lapidem.

Ob-

Obsistet (*f*) quidem inolita consuetudo ; sed meliori consuetudine devincetur. Remurmurabit caro ; sed fervore spiritus frænabitur. Instigabit te serpens antiquus ; sed oratione fugabitur. Asperram (*g*) nobis , & insuavem virtutum viam , nimia facit vitiorum consuetudo : quæ , si in alteram partem transferatur , invenitur semita justitiæ levis. **T**e reliquise mundum bonum est : sed agere , ut mundus te relinquat , longe melius est. **B. P. N.**

PUNCTUM III. Et respicientes vide-
runt revolutum lapidem. *Ibidem.* Re-
media (*h*) conversionis ad Deum , nul-
lis cunctationibus sunt differenda : ne
tempus correctionis pereat tarditate.
Qui enim pœnitenti promisit indulgen-
tiam , dissimulanti diem craftinum non
spopondit. *Si (i) aurum tibi offeram ,*
non mibi dicis : cras veniam ; sed jam exi-
gis : hic nemo differt , nemo excusat. Re-
demtio animæ per conversionem promittitur :
cur non festinas ? ætatis nostræ prima vi-
gilia est pueritia , altera adolescentia , ter-

tia senectus. Qui (*k*) in prima vigilia vigilare noluit, secundam custodiat: ut, qui converti a pravitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitae saltem tempore juventutis evigilet: & qui ad vias vitae juventutis tempore non evigilat, saltem in senectute resipiscat: nam quos diu, ut convertantur, tolerat; non conversos durius damnat.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Viderunt Juvenem sedentem in dexteris coopertum stola candida. *Ibidem.* *Nec candor stolæ, nec ætatis flos, nec in dextris sessio otiose describitur.* Qui (*l*) in illa ætate, quando flavescunt crines, caro nitet eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juventutis ætas longioris vitae spatium repromittit: Quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus: visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior: qui in hac ætate se domant, & per vota solennia Deo dedicant; tales offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam;

non

non aure, non oculo, non pede carentem. Audiat hoc senum sera convercio! quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, & ipsi in se per se deficiunt: hi non offerunt agnum immaculatum; sed effætum animal multum saginatum.

PUNCTUM II. JEsum quæritis Nazarænum Crucifixum. *Ibidem.* O felix anima, quæ nil aliud quærit, quam JESUM Nazarænum, & hunc Crucifixum! Hæc laudibus (m) non extollitur, detractione non ejicitur: interroganti leniter respondet, contendenti facile cedit: patienter alios audit, rari est, & gravis sermonis: in potu sobrie, in cibo parce, in verbis composite versatur. Puritate candida, obedientia prompta, patientia perfecta: in oratione assidua, in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentia rigida, in moribus exemplaris: in conversatione grata, in verbis affabilis: amicis fida, inimicis benigna, Deo resignata, sibi mortua, mundo crucifixa. Nos (n) videmur quidem nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & ad monasterium divertimus: at nolumus nos.

nos mundo crucifigere. Adhuc in animo nostro vigent illius blanditiæ, adhuc compatimur illius gloriæ, deliciis, voluptatibus &c.

(a) S. Hieron. (b) Ex S. August. (c) Raban. (d) S. August. (e) S. Isidor. (f) Thom. Kemp. (g) S. Hieron. (h) S. August. Sent. 71. (i) Ex S. Ambr. (k) S. Greg. in hom. (l) Hugo de clauſtro anim. L. 3. c. 10. (m) Ex Anonym. (n) B. Doroth. tom. III. Biblioth. SS. PP.

Feria II. Paschatis.

Christus in Emaus a Discipulis agnoscitur.

Mane.

PUNCTUM I.

DUO ex Discipulis JESU ibant ipsa die in Castellum. *Luc. 24.* Emaus *jam* pavorem, *jam* calorem significat. Expavescerunt, timendo Dei justitiam; incalescerunt, amando ejus bonitatem, & misericordiam: si bac incesseris, ne latum unguem a via salutis declinabis. Ad (a) Deum, qui ubique praesens est, ubique totus est, non pedibus licet ire, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit; sed ex eo, quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bo-

bonos , vel malos mores , nisi boni vel mali sint amores . Sed (b) in via Dei a timore Dei incipitur . Noveris (c) te , ut Deum timeas ; noveris ipsum , ut æque ipsum diligas . Quum (d) audis , quod Dominus tuus dulcis est , attende quid diligas : quum audis , quod rectus est , attende quid timeas : ut amore , & timore Dei excitatus legem ejus custodias .

PUNCTUM II. Et ipse JESUS appro-
pinquans ibat cum illis. *Ibidem.* Cogita
(e) sub oculis Dei nos stare : spectante,
ac judicante ipso , conversationis no-
stræ curricula decurrere . Nihil (f)
aliud agit Deus , nisi , ut meæ & tuæ
saluti provideat , & ideo totum ad mei
custodiam occupatum video : quasi om-
nium oblitus sit , & mihi soli vacare ve-
lit . Semper præsentem se mihi exhi-
bet Deus meus , semper paratum of-
fert . Quocunque me vertero , me non
deserit , ubicunque fuero , non recedit .
Quidquid egero pariter assistit . Domi-
nus (g) solicitus est mei . Pater , ut
servum redimat Filio non parcit ; Filius

fe

se ipsum libentissime tradit : Spiritum
Sanctum uterque mittit ; & ipse Spir-
itus postulat pro nobis gemitibus inen-
narrabilibus. O indurati filii Adam !
quos non emollit tanta benignitas , tan-
ta flamma , tam vehemens amor : qui,
pro vilibus farcinulis tam pretiosas mer-
ces expendit.

PUNCTUM III. Qui sunt hi sermones,
quos confertis ad invicem , & estis tri-
stes ? *Ibidem*. Excitatur (*b*) devotio
nostra , quando ea , quæ licet non igno-
rantur , recensentur tamen. *Tale* (*i*)
est ingenium naturæ nostræ , ut torpescat ,
si usus destiterit Sacræ collationis , aut le-
cctionis. Sicut ferrum , nisi in usu fuerit ,
æruginem contrahit : ita & anima , nisi
frequentius divinis exerceatur collocutioni-
bus. Quare , David ait illum beatum esse ,
qui die ac nocte legem Domini meditatur.
Vis (*k*) de virtute in virtutem , de gra-
tia in gratiam , de bono in melius quo-
tidie proficere ? quotidie quanta potes
devotione , mediteris Dominicam Pa-
ssionem. *Quotidie* (*l*) *Jesus Christum*
crucifixum , ejusque virtutes , juxta morem
Divi

Divi Pauli, & imitari & frequenter recordari coneris.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Nonne hæc oportuit pati Christum ? *Ibidem.* Quam (*m*) pauci Domine JEsu , post te ire volunt ; cum tamen ad te pervenire nemo sit , qui nolit ? Corregnare cupiunt , sed non pati ; cupiunt consequi , sed non sequi. *Oportuit Christum pati , ut intret in gloriam suam ; isti pati renuunt , ut intrent in gloriam alienam ?* Si quotidie (*n*) oportet nos tormenta perferre , si gehennam ipsam parvo tempore tolerare , ut Christum videre digni essemus venientem in gloria , & Sanctorum ejus numero sociari ; nonne erat dignum pati omnne , quod triste est : ut tanti boni , tantæque gloriæ participes haberemur ? Sæviat , (*o*) & fremat mundus , increpet linguis , coruscet armis ; quidquid fecerit , quantulum illud erit ad illud , quod accepturi sumus ?

PUNCTUM II. Accepit panem , & benedixit. *Ibidem.* Sic vive , (*p*) ut quotidie merearis hunc panem accipere.

Qui

Qui non meretur quotidie accipere, non
meretur post annum accipere. Si (*q*)
quotiescumque effunditur sanguis Chri-
sti, in remissionem peccatorum fundi-
tur; debo illum semper accipere: ut
semper mihi peccata dimittantur. Sa-
cramentum (*r*) Dei altissimi suscipien-
dum, non discutiendum; venerandum,
non dijudicandum est. Væ (*s*) traden-
tibus Christum ad crucifigendum; sed
væ cum maligna conscientia, sub Sa-
cramento fumentibus illum: qui et si non
tradant Judæis ad crucifigendum; tra-
dunt tamen ipsum membris inimici ad
sumendum. Reus (*t*) est talis cædis
Dominicæ, ac si Dominum occidisset,
& Christi sanguinem effudisset.

- (a) S. August. in Epist. (b) S. Gregor. (c)
S. Bern. (d) Cass. (e) S. Cyprian. de zelo. (f)
S. August. in medit. (g) S. Bern. Serm. 2. de Pen-
tecoste. (h) S. August. (i) Ex Eodem. (k) S.
Bonavent. (l) Ex Const. p. I. c. 5. (m) S. Bern.
(n) S. Aug. Serm. 2. de Festo OO. SS. (o) Idem
in Sent. (p) Idem in Matth. (q) S. Ambr. (r)
S. Bernar. (s) S. Remig. (t) S. Chrys.

Feria III. Paschatis.

Christus apparet Discipulis in unum congregatis.

Mane.

PUNCTUM I.

STETIT JESUS in medio Discipulorum suorum. *Luc. 24.* Falleris (*a*) Thoma Sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum Collegio separatus. Non amat Veritas angulos; non ei diversoria placent. In medio stat. Id est: disciplina communi, communi vita, communibus studiis delectatur. Monachus (*b*) incedens solitarius, est dæmon meridianus. *Non vis* (*c*) contentus esse communi vita? non sufficit tibi regulare jejunium? non imposta disciplina? non mensura in alimentis, vel vestimentis? privata præfers communibus, qui tui curam Religioni credidisti? Ecce! Nonne iterum propriam sequeris voluntatem, cui dudum nuncium remissisti? Illa te docet naturæ non parcere: rationi non aquiescere: Seniorum Consilio non obtemperare &c. O male sine Magistro discipule!

K

PUN-

PUNCTUM II. Et dicit eis : Pax vobis. *Ibidem.* *Videlicet pax cordis : quæ tollat perturbationes mentis ; pax oris : quæ rixas & contentiones componat ; pax operis : quæ ab inferendis injuriis vos arceat.* Hæc (*d*) est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc, qui acceperit, teneat : qui perdiderit, repetat : qui amiserit, exquirat. Qui in eadem non fuerit inventus : a PATRE abdicatur, a FILIO exheredatur, a SPIRITU SANCTO alienus efficitur. Hæc (*e*) est vera pax : a Dei voluntate non dividi ; & in his, quæ solius Dei sunt, delectari. Sed (*f*) & cum adversario tuo concorda : quia nescis, quando vita finiatur. Quum vita finita fuerit, Iudex restat, & minister, & carcer.

PUNCTUM III. Ego sum, nolite time-re. *Ibidem.* *Veraciter nullus timori locus relinquitur, ubi Iesus invenitur.* Ama Iesum, nullum metues adversarium : perfecta charitas foras mittit timorem. Nunquam amare desine ; nunquam recedet a te
Ies-

耶穌. Nemo (*g*) potest tibi Christum auferre , nisi tu , te illi auferas. Quem , si non deseris , securus es. Nam , si a vulnere curari desideras , medicus est : si febribus æstuas , fons est : si gravar is iniquitate , iustitia est : si indiges auxilio , virtus est : si mortem times , vita est : si tenebras fugis , lux est : si Cœlum desideras , via est. *Tu autem* , Nihil Christo dedisti , si cor ei non dedisti. *B. P. N.*

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Conturbati vero , & conteriti existimabant se spiritum videre. *Ibidem.* Plura (*b*) sunt , quæ nos terrent : & saepe opinione amplius laboramus , quam re. Facile (*i*) deviat a iustitia , qui non Deum , sed homines pertimescit. Hic timor , peccandi facultatem differre potest , voluntatem auferre non potest. Solus Dei timor , mentes colligit , fugat crimina , innocentiam servat , & omnis boni tribuit facultatem. Quando (*k*) timore pœnæ , & non amore iustitiae fit bonum , nondum bene fit bonum : nec fit in cor-

de, quod fieri videtur in opere : quando mallet homo non facere , si posset impune. *S. Aug.*

PUNCTUM II. Quid turbati estis , & cogitationes ascendunt in corda vestra ? *Ibidem.* Cogitationes (*l*) istae terrenæ sunt : si enim cœlestes essent , descendenterent in cor , non ascenderent . Quidquid (*m*) pudet dicere , pudeat & cogitare . Est tutissimum , ut asuescat animus discernere cogitationes suas , & ad primum animi motum vel probare , vel reprobare , quod cogitat . Ut vel bonas cogitationes alat , vel statim malas extinguat . Hic namque fons est boni , & origo peccandi . Ibi maxime oportet observare peccatum , ubi nasci solet , statimque ad primam temptationis faciem , malum antequam crescat , restinguere . *Incipe* (*n*) bonas cogitationes diligere : & statim ab illis , quæ malæ sunt , dignabitur te Dominus liberare .

(*a*) S. Bern. Serm. 6. de Ascen. (*b*) S. Thom. Aquin. apud Cornel. a Lap. c. 3. v. 1. in act. Apostol. (*c*) Ex S. Bern. super Cant. Serm. 19. (*d*) S. August. (*e*) S. Leo. (*f*) Ex S. August. (*g*) S.

S. Ambros. (b) Seneca Epist. 13. (i) S. Chrys.
 (k) S. August. (l) Idem Serm. 69. (m) S. Hier.
 Ep. ad Demetr. (n) Ex Cass.

DOMINICA IN ALBIS.

JEsus glorioſa ſua Vulnera exhibet Discipulis.

Mane.

PUNCTUM I.

CUM sero eſſet die illo , & fores el-
 ſent clauſæ, venit JEſus. *Joan. 20.*
Sensuum oſtia , & cumprimis oculorum ſolici-
tius claude ; veniet ad te JEſus , & in
medio cordis tui dulcissimam figet stationem.
Cave abutaris oculis tuis , ut placeas alieni-
nis. Dilectus (a) tuus talis eſt naturæ,
ut alienum non velit admittere ; ſed fo-
lus velit cor tuum habere , & tanquam
Rex in proprio throno ſedere. Remi-
niscere , (b) omnes improbas cupiditates in
cor per oculos introire. Noli (c) incaute
aspicere , quod poſtmodum vel invitus ames.
Species (d) formæ ſemel cordi per ocu-
los alligata , vix magni luſtaminis ma-
nu ſolvitur. Ad (e) cordis munditiem ,

sensuum custodia servanda est. Cum per urbem incedis, memineris te esse Religiosum, non pictorem.

B. P. N.

PUNCTUM II. Et ostendit eis manus, & latus. *Ibidem. Consulto noluit Patris æterni Sapientia, quinque Sacrorum Vulnerum plagas obliterare.* 1. Ut pretia (*f*) nostræ libertatis Deo Patri ostenderet. 2. *Ut essent trophyæ de morte, de peccato, de dæmone partæ victoriæ.* 3. *Ut horum Vulnerum contemplatione nos a peccatis avocaret.* 4. *Ut sint nobis in rebus adversis solatium, & refugium.* 5. *Ut in die extremi Judicii Judaicam perfidiam & reproborum ingratitudinem confundat.* O amabilissime JESU ! Manus (*g*) tuæ fecerunt me, manus, inquam, illæ, quæ affixæ sunt clavis pro me. Opus manuum tuarum Domine ne despicias ; Vulnera manuum tuarum, precor, ut aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me ; lege ipsam scripturam, & salva me. En ad te suspiro creatura tua ; Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua ;

Vita

Vita es , vivifica me. En ad te respi-
cio tuum plasma; Plasmator es, restau-
ra me.

PUNCTUM III. Gavisi sunt Discipuli
viso Domino. *Ibidem.* Illud (*b*) est ve-
rum gaudium , quod non de creatura ,
sed de Creatore concipitur : cui com-
parata omnis jucunditas mæror est ; om-
nis suavitas dolor est ; omne dulce ama-
rum est ; omne decorum fœdum est.
Quære tuum bonum , o anima mea ! hoc est :
quære summum bonum. Sunt (*i*) enim &
inferiora bona , quæ aliis , & aliis bona
sunt. Pecori quid bonum est : nisi im-
plere ventrem ? carere indigentia ? dor-
mire ? gestire ? vivere ? sanum esse &c.
Tale tu bonum quæreris Cohæres Chri-
sti ? quid gaudes , quia socius es peco-
ris ? erige spem tuam ad Deum bonum
bonorum omnium.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Sicut misit me Pater , &
ego mitto vos. *Ibidem.* *Idem ipse , qui mi-*
sit Apostolos ad conversionem orbis terrarum ;
te misit ad erudiendam juventutem præce-
ptis pietatis , & litterarum. Sed heu ! heu !

jam (*k*) indignum videtur apud multos, si quis ex Theologis, aut famosus in litteris, ad hoc se opus inclinaverit: præsertim circa parvulos. Convincit autem illos exemplum Christi, qui inquit: Sinite parvulos venire ad me. O Pissime JESU! quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos; quando tu, qui es Deus, usque ad castissimos puerorum amplexus brachia mansuetus inclinas? nescio prorsus, si quidquam majus esse potest, quam animas ab ipsis inferni portis eripere, & tales parvulorum animas quasi plantare, partem non indignam horti Ecclesiastici?

PUNCTUM II. Et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum. *Ibidem.* Nulla (*l*) in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus Doctor est. *Eius doctrina dat animæ pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen.* Pignus (*m*) salutis: ut ipse reddat testimonium Spiritui tuo, quod filius Dei sis. Robur vitæ: ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat. Lumen scientiæ: ut cum

omnia bene feceris , te servum inutilitem putas. Habitare (*n*) in corpore animam , probant vitales sensus corporis : habitare in anima Sanctum Spiritum , probat vita spiritualis. *O Spiritus Divinissime !* Sanctum (*o*) semper opus in me spira , ut cogitem : compelle , ut faciam : suade , ut te diligam : confirma me , ut te teneam : custodi me , ne te perdam.

(*a*) Thom. a Kemp. L. 2. c. 7. (*b*) Ex Salviano. (*c*) Ex S. Hieron. (*d*) Idem. (*e*) Ex S. Gregor. (*f*) S. August. (*g*) Idem in soliloqu. (*h*) S. Bern. (*i*) S. August. in pf. 102. (*k*) Joan. Gerson. Cancell. Paris. p. 2. operum suorum. (*l*) V. Beda. (*m*) S. Bern. Serm. 2. Pentecost. (*n*) S. Gregor. in moral. (*o*) S. Aug.

DOMINICA II. POST PASCHA. *Discrimen inter bonum Pastorem, & mercenarium.*

Mane.

P U N C T U M I.

Ego sum Pastor bonus. *Ioann. 10.*
Ars (*a*) artium , & Scientia scientiarum , est regimen animarum. *Si bo-*

*nus Pastor es, pasce oves Christi; pasce
(b) verbo, pasce exemplo, pasce san-
ctarum fructu orationum. (c) Est etiam
Pastor quilibet Religiosus, cuius est cu-
stodire oves: id est innocentiam sen-
suum, mentis, & corporis. Qui, si &
gregem Domini doctrina paverit; vitam
activam, & contemplativam fructuose
poterit copulare. Oportet igitur, Pastor
bonus (d) sit cogitatione mundus, actione
præcipiuus: disertus in silentio, utilis in
verbo: bene agentibus per humilitatem so-
cius; contra delinquentium vitia per zelum
justitiae erectus.*

PUNCTUM II. Bonus Pastor animam
suam dat pro ovibus suis. *Ibidem. Amor
(e) ovium, in tam magnum debet crescere
ardorem, ut vincat naturalem mortis timo-
rem. Stare (f) in periculo ovium non
potest, qui in eo, quod ovibus præest,
non oves diligit, sed lucrum terrenum
quærit. Dum enim honorem amplecti-
tur, opponere se contra periculum trepi-
dat: ne hoc, quod diligit, amittat.
Non (g) Pastor, sed mercenarius est: qui
locum quidem Pastoris, hoc est, munus Su-*

pe-

perioris, Magistri, Prædictoris &c. tenet; sed lucra animarum non quærit: ne tantulam honoris, amicitiæ, valetudinis ja-
cturam patiatur. Nil durum, nil amarum,
nil grave, nil lethale computat verus ama-
tor ovium Iesu Christi. Vult Deus
servum suum cordatum, non de-
licatum. *B. P. N.*

PUNCTUM III. Mercenarius autem vi-
det lupum venientem, & fugit. *Ibidem.*
Sola (*b*) cauſſa est, ut mercenarius fu-
giat: quia mercenarius est. Mercena-
rius fugit, non mutando locum; sed sub-
trahendo solatium. Fugit, quia se sub-
ſilentio abscondit. *Quapropter (i)* &
sancte debes vivere propter exemplum, &
docere propter tuæ Professionis officium: Cer-
tus, quod nihil tua tibi justitia suffragabi-
tur, de cuius manu anima pereuntis requi-
retur. *Quando* aliis perit, quem nulla do-
cendi necessitas mouet, ſolas pœnas ſui ſce-
leris dabit. Ille autem, cui doctrina com-
missa est, etiam ſi sancte vivat, & tamen
perdite viventes arguere, aut erubefcit, aut
metuit; cum omnibus, qui eo tacente perie-
rint,

rint, perit. Et (*k*) quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est peccato alieno?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et lupus rapit, & dispergit oves. *Ibidem. Doctrina perversa, & prava societas; exempla mala, & scelerum impunitas, lupi sunt Christo (*l*) renata germina in ipso flore depascentes. Sed luporum princeps dæmon est, qui (*m*) rapit oves: cum hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accedit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit: hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur. Magistri (*n*) vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriendunt, dum, quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt. S. Greg.*

PUNCTUM II. Ego sum Pastor bonus,
 & cognosco oves meas. *Ibidem.* Ovem
 (o) te putas ? hircum te forte Deus
 novit. S. Aug. *Christi* (p) *ovis nemo*
recte dicitur, nisi qui *Christo moribus*,
prout valet, coæquatur. *Christi ovis est*,
 qui (q) omnibus misericordiam facit,
 & nulla movetur injuria : qui coram ho-
 minibus inglorius vivit, ut coram Deo,
 & Angelis glorietur : qui terrena con-
 temnit, ut possit habere cœlestia : qui
ad exemplum Christi mitis esse studet, &
humilis corde. O felices oviculæ ! expe-
 ñate (r) Pastorem vestrum, requiem
 æternitatis dabit vobis : quoniam in pro-
 ximo est ille, qui in fine seculi adveniet.
 Parati estote ad præmia regni: quia lux
 perpetua lucebit vobis. Fugite um-
 bram seculi hujus, ut accipiatis jucundi-
 tam gloriam vestram. Jucundamini, gra-
 tias agentes ei, qui vos ad cœlestia re-
 gna vocavit.

- (a) S. Gregor. (b) S. Bernar. (c) Ulricus
 Gviseus in M. S. vetust. (d) Ex S. Gregor. (e)
 Ex S. August. (f) S. Gregor. (g) Ex Eodem.
 (h) Idem. (i) Ex S. Prosp. de vita contemp. L. I.
 (k) Idem. (l) Ex Brevi Beatif. (m) S. Gregor.
 (n)

(n) Idem L. 21. moral. c. 8. (o) S. August. L. de
ovibus c. 10. (p) Ex S. Cyprian. (q) S. August.
(r) Anonym.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Quæstio de modico.

Mane.

PUNCTUM I.

MOdicum, & jam non videbitis me. *Joan. 16.* Modicum (*a*) est hoc to-
tum spaciū, quo præsens pervolat secu-
lum. *Et tamen, heu cæcitas mentis nostræ!*
modicum *hoc, sine fructu avolare simimus?*
Lubet (*b*) fabulari ? dicimus : dum ho-
ra pertranseat. O ! donec hora per-
transeat, quam tibi ad agendam pœni-
tentiam, ad obtainendam veniam, ad
aquirendam gratiam, ad promerendam
gloriam miseratio Conditoris indulserat.
Ex (*c*) hoc tempore tam angusto, tam
rapido, & nos auferente, quid juvat
majorem partem mittere in vanum ? vi-
tam nobiscum dividit somnus. Quam
serum est incipere vivere, dum deficien-
dum est ? res omnium pretiosissima

Iu-

luditur. Tu occupatus es? vita fe-
stinat.

PUNCTUM II. Quid est hoc, quod di-
cit nobis modicum? *Ibidem.* Hoc (*d*)
modicum longum nobis videtur, cum
agitur; cum finitum fuerit, tunc sen-
tiemus, quod modicum fuerit. In via
(*e*) es, O homo! ambula, ut perve-
nias, ne te nox in via occupet: ne con-
sumatur dies vitae, antequam progres-
sum virtutis acceleres. Festina semper
ad finem: festina, ut pervenias. Eli-
ge tamen viam, antequam curras. Duæ
viæ sunt: una iustorum arcta; altera
peccatorum spatiose, sed ducens ad in-
teritum. Vide, ne dum dormis, præ-
tereat: ideo & si dormis, cor tuum
vigilet. Si cor otiosum non fuerit, non
sunt otiosa tempora tua. Transeundum
(*f*) est. Dies iste, quem tamquam ex-
tremum reformidas, æterni natalis est.

PUNCTUM III: Plorabitis, & flebitis
vos, mundus autem gaudebit. *Ibidem.*
Vanum (*g*) est, & breve omne huma-
num solarium. Temporalibus gaudent,
(*b*) qui bona æterna non norunt desi-
de-

derare. Prospera (*i*) hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Quæ (*k*) cœcitas, quæ dementia est amare pressuras, & pœnas mundi, & non festinare ad gaudium, quod nunquam possit auferri? Ecce (*l*) ruinosus mundus est, & sic amatur! quid, si dulcis esset? O munde immunde! in tenebris periens, quid faceres, si maneres?

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ibidem.* Pereant (*m*) hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania. Conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. Si (*n*) sic amamus istam miseram, fluidamque vitam, ubi vix currendo, satagendo, suspirando, necessariis corporis satisfacimus: quanto magis amare debemus vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebimus? Id (*o*) quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æter-

næ gloriæ pondus operatur in nobis. Quanto (*p*) in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, morborum crudelitate fuerimus afflicti: tanto post resurrectionem, majora præmia consequemur.

PUNCTUM II. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Ibidem.* O beata (*q*) Regio Paradisi! O beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lacrymarum! Ubi sapientia sine ignorantia, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore fulgebit. O vere felix & gloria facetas! O sanctum Convivium! ubi anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium. Sed facilius (*r*) possumus dicere, quid ibi non sit; quam, quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi laßtudo, non infirmitas, non fames: nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla tristitia. Ecce! (*s*) venale est hoc Regnum Dei: eme si vis. Res ista valet tantum, quantum es tu: te da, & habebis illam. Sed malus

sum , inquies , & forte me non accipiet ?
dando te illi , bonus eris .

(a) S. August. tract. 101. (b) S. Bernard.
Serm. ad Scholares. (c) Seneca. (d) S. August.
tract. 101. (e) S. Ambr. (f) Seneca. (g) Thom.
a Kemp. (h) S. August. (i) Idem in ps. 36. (k)
S. Cypr. (l) S. August. (m) Idem L. Confess.
(n) Ex Eodem. (o) 2. ad Corin. 4. (p) S. Hieron.
(q) S. Bernar. (r) S. August. de Symb. L. 3. (s)
Idem de spir. & anima.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Jesus ascensurus ad Patrem solat tur Apostolos.

Mane.

PUNCTUM I.

VADO ad eum , qui misit mē. *Joan.*
16. Aut (a) mundus fallitur , aut
Christus errat . Sed impossibile est Di-
vinam errare Sapientiam . Christus ad
Patris æterni gloriam , per flagella , per
spinas , per Crucis tormenta pervenit .
Nemo (b) sibi promittat , quod Scri-
ptura non promittit . Non promittunt
nobis Scripturæ in hoc seculo , nisi tri-
bulationes , pressuras , angustias , tor-
menta , dolores , abundantiam tentatio-
num .

num. Nihil (*c*) falubrius esse poterit in mundo, quam pati pro Christo. Si aliquid melius, & utilius saluti hominum fuisset, Christus utique verbo, & exemplo docuisset. Nescit lucrari Christum, qui nescit pati pro Christo. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Quo vadis? *Ibidem. Utinam veraciter respondere audeas: relinqu mundum, & vado ad Patrem. Joan. 16. Macte animi! age, quod agis,* modica, (*d*) terrena, transitoria sunt, quæ deseris: maxima, æterna, Cœlestia sunt, quæ appetis. Tenebras deseris, & lumen ingrederis: de profundo fluctuum, emergis ad portum: de misera servitute, ad felicem libertatem aspiras: de morte transis ad vitam. (*Age, e*) qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento. Immo principaliter abnega te ipsum: si desideras sequi eum, qui se exinanivit propter te ipsum. (*Facilius f*) sanguis contemnitur, quam voluntas.

PUNCTUM III. Tristitia implevit cor

vestrum. *Ibidem.* Vis (g) nunquam esse tristis? bene vive. Bona vita semper gaudium habet. (*Conscientia peccati, formidinis mater.* Nulla (h) pœna gravior, pœna conscientiæ. Secura mens, tristitiam lene sustinet. Bona vita, gaudium semper habet; Conscientia autem rei, semper in mœrore est. *Sancta & religiosa tristitia, aut proprium peccatum luget, aut alienum.*) Inordinata (i) tristitia, orationes explere non permittit: (*Sacrarum Lectionum remediis incubare non sinit: tranquillum, ac mitem fratribus esse non patitur: ad cuncta Religionis officia impatientem, & asperum reddit.* (*Cave interim, dum tristitiam fugis, in dissolutionem incidas.*))

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Sed ego veritatem dico vobis. *Ibidem.* (Errat, (k) quisquis se veritatem cognoscere putat, qui adhuc nequiter vivit. Magna (l) est vis veritatis: quæ contra omnia ingenia, callicitatem, solertiam, & contra fictas hominum insidias, facile se per se ipsam defendit. Non solum (m) proditor est

ve-

veritatis , qui mendacium pro veritate loquitur : sed & , qui non libere pronunciat veritatem.) Si propter timorem mortis tacere veritatem impietas est ; quomodo non est major impietas , propter miserum ventrem , & honoris vani spem tacere veritatem ? Absit a Religioso vocem habere Jacob , manus autem Esau. B. P. N.

(PUNCTUM II. Expedit vobis , ut ego vadam. Ibidem. *Omnis Christi actio , nostra est cum utilitate instruc^tio.* Nasci , conversari , pati , mori , resurgere , redire ad Patrem noluisset ; nisi nobis expedire cognovisset. Hoc (n) igitur & nostræ salutis argumentum erit , si non solum pro nobis ipsis solicieti , sed & proximo utilles fuerimus : ipsum ad viam veritatis manducentes. Expedit : *ut hujus viæ Magister , (o) fit in sermone verax , in consilio providus , in commisso fidelis : Constat in vultu , pius aspectu , virtutibus insignis , bonitate laudabilis. Vide : an hæ notæ boni Magistri in te sint ? Nulla (p) res discipulo est ita pernici-*

ciosa : sicut vita Magistri contumeliosa.

(a) S. Bern. (b) S. August. in ps. 48. (c)
Thom. a Kemp. (d) S. Bern. Ep. 114. (e) Idem.
(f) Raban. (g) Hugo L. 3. de anima. (h) S. Isid.
L. 2. Soliloq. (i) S. August. (k) Idem. (l) Se-
neca. (m) S. Chrysost. (n) Idem homil. 3. super
Gen. (o) Boetius. (p) Idem.

DOMINICA V. POST PASCHA.

*Quidquid a Patre petitur, in No-
mine Filii petatur.*

Mane.

PUNCTUM. I.

SI quid petieritis Patrem in nomine
meo , dabit vobis. *Ioan. 16.* Ille
(a) in nomine Salvatoris petit , qui il-
lud petit, quod ad veram Salutem per-
tinet. Hinc est , quod & Paulus non
exauditur : quia si liberaretur a tenta-
tione , ei non prodeisset ad salutem. *Si*
quid impetrare desideras, sit (b) tua ora-
tio pura , simplex , dilucida , atque ma-
nifesta : plena gravitatis , & ponderis ;
non affectata elegantia , sed non inter-
missa gratia. Despiciuntur orationes le-
ves ,

ves , diffidentes , inutiles : seculi curis
anxiæ , plenæ rerum corporalium , bo-
norum operum fructibus infecundæ .
Magna (*c*) voce ille clamat ad Domi-
num , qui quamvis lingua taceat , bo-
nis tamen operibus perseveranter cla-
mat.

PUNCTUM II. Usque modo non pe-
tistis quidquam in nomine meo. *Ibidem*.
Quia non ea petiūstis , quæ jussu meo pete-
re debebatis : quia per merita mea non po-
stulastis : quia contraria saluti desiderastis :
quia ad gloriam meam preces vestras non
retulistis. Pensamus (*d*) petitiones no-
stras. In domo JEsu , JEsum non quæ-
rimus : si in domo æternitatis , impor-
tune pro temporalibus oramus. Ecce !
alius petit honorem , aliis quærerit villam ,
alius postulat vestem , aliis dari sibi de-
precatur alimentum. *Attamen* , fideliter
(*e*) supplicans Deo pro necessitatibus
hujus vitæ , & misericorditer auditur ,
& misericorditer non auditur. Quid
enim infirmo sit utilius ? magis novit
medicus , quam ægrotus. Fac obe-

dientiam , & Deus providebit.
B. P. N.

PUNCTUM III. Petite , & accipietis.
Ibidem. Orationis (*f*) puræ magna est virtus , & velut fidelis nuncius mandatum peragit ; & penetrat , quo caro non pervenit. Illius (*g*) est oratio perfecta , cuius & caussa clamat , & lingua , & actus , & sermo , & vita , & cogitatio. Per hanc ira Dei suspenditur , venia procuratur , pœna refugitur , præmiorum largitas impetratur. Cum Deo loquitur , cum Judice fabulatur : præsentem sibi facit , quem videre non prævalet. Ad penetralia Judicis precator admittitur : & nullus inde respuitur , nisi qui in oratione tepidus invenitur. **Non est familiaris Deo , qui non est amicus orationis.** B. P. N.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Petite , & accipietis.
Ibidem. *Magnam* (*b*) *Deo injuriam facis* , cum eum precaris , ut tuam precem audiatur , quam tu ipse , qui fundis , non audis. *Deprecaris Deum* , ut tibi intendat ;

tu vero nec tibi, nec illi intendis. Quia
(i) fronte postulare audes, ut dum ipse
dormis, dum nulla salutis tuæ cura tan-
geris, insuperabile auxilium cœleste ad
te advolet? præcedant illa, quæ a te
exiguntur; & tunc demum ea, quæ sunt
auxilii Divini, subsequentur. Omnipo-
tens (k) Deus, sæpe ejus precem in
perturbatione deserit, qui præcepta il-
lius in tranquillitate contemnit.

PUNCTUM II. Ut gaudium vestrum sit
plenum. *Ibidem.* *Plenitudo gaudii replet*
animum; dum, quod diu ardenter petimus,
tandem impetramus. Quum (l) aliquid,
aliquando tardius dat Deus, commen-
dat dona; non negat. Desiderata diu,
dulcius obtinentur; cito autem data, vi-
lescunt. Pete, quære, insta: petendo,
& quærendo cresces, ut accipias. Ser-
vat tibi Deus, quod non vult cito da-
re: ut & tu discas magna magis deside-
rare. Male usurus eo, quod vult ac-
cipere, Deo miserante non accipit. Si
hæc ab illo petuntur, unde homo lædi-
tur exauditus; metuendum est: ne, quod
posset non dare propitius; det iratus.

- (a) S. Gregor. homil. 27. (b) S. Ambros.
 (c) Catt. (d) S. Gregor. (e) S. Augustin. (f)
 Idem. (g) Catt. (h) Ex S. Bernar. (i) S. Isidor.
 L. 4. Ep. 12. (k) S. Greg. (l) S. August.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Mane.

PUNCTUM I.

REcumbentibus undecim Discipulis apparuit illis JESUS, & exprobravit incredulitatem eorum. *Marc. 16. Amicam hanc, & plenam suavitatis fuisse reprehensionem, in comperto est.* Facilius (a) penetrant verba, quæ mollia vadunt, quam quæ aspera. Qui delinquentem (b) odioso animo corrigit, non emendat, sed percutit. Quidquid indignans animus protulerit; objurgantis furor est, non dilectio corrigentis. In correctione vitiorum subesse debet iracundia, non præesse. Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulentia. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, & magna facientem. Exprobra tibi quotidie vitia tua; non exprobabis aliena.

PUN-

PUNCTUM II. Et dixit eis : euntes in mundum universum, prædicate Evangelium. *Ibidem.* Cujus (*c*) vita despicitur, ejus cohortatio contemnitur. Loquendi authoritas perditur, quando vox opere non juvatur. Necesse est, qui verba Dei loquitur, prius studeat scire, qualiter vivat : ut ex vita sua colligat, quæ ? & cui dicat ? Qui (*d*) ita loquitur verba Dei, ut non corrigat, sed delectet audientes ; corrumpit scripturas. Lachrymæ auditorum, sunt laudes Prædicatorum. Non (*e*) confundant opera sermonem tuum ; ne, quum in Ecclesia, aut in schola loqueris, tacitus quilibet respondeat : cur ergo quæ dicit, ipse non facit ? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniiis disputat. *S. Hier.*

PUNCTUM III. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. *Ibidem.* Fides (*f*) appellata est ab eo, quod fit. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides. Prima syllaba est a facto, secunda a dicto. Interrogo te ergo, utrum credas? dicis, credo. Fac, quod dicis, & fides est. Cum dilectione (*g*) fides Chri-
ftia-

stiani ; sine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt, pejores sunt, quam ipsi dæmones. Fides est (*b*) prima, quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta dat vivendi : quibus custoditis, spes nostra firmatur, & nutritur. Sicut ergo in cognitione cavidus est error ; sic in actione cavenda est nequitia. Peccatorum frequentia oritur ex fidei inconstantia.

B. P. N.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et Dominus quidem JESUS postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum. *Ibidem.* Dominus (*i*) noster JESUS Christus, dum naturam humanam sideribus importavit, credentibus Cœlum patere posse monstravit : dum vincentem in Cœlestibus elevavit, victorem mortis, quo sequamur, ostendit. Oportet, (*k*) ut illuc sequamur corde, ubi Christum credimus corpore ascendisse. Et, si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris : quia is, qui placidus ascen-

ascendit, terribilis redibit. *Quisquis (l)*
in Cœlum ascendere desiderat; ei, qui de
Cœlo descendit, fide, spe, charitate se con-
jungat.

PUNCTUM II. Sedet a dextris Dei.
Ibidem. Sedet, (m) ut corpus, quod ex
homine propter hominem induit, ut gloriofa
Vulnera, quæ Cœlo intulit, jugiter Deo Pa-
tri exhibeat: atque ita merita sua in re-
centi memoria custodiat. In sacris his vul-
neribus, munitissima habemus præsidia, &
inimicis inaccessibilia: Per hæc reparantur
vires animæ, reviviscit spiritus, renova-
tur mens; redintegratur quod fuerat dissi-
patum, quod amissum, quod debilitatum,
quod peritum. Quid (n) tam efficax
ad curandum conscientiæ nostræ vulne-
ra, nec non ad purgandam aciem men-
tis, quam Christi vulnerum sedula me-
ditatio? Horum saepius per diem remini-
scere, in his habita, hæc adora.

- (a) Seneca. (b) S. Isidor. (c) Ex S. Greg.
- (d) Ex S. Hier. (e) Idem. (f) S. August. Serm. 12.
- (g) Idem de Char. (h) Idem de Agone c. 18.
- (i) Idem. (k) S. Gregor. homil. 29. (l) Ex V. Beda. (m) Ex S. Laurent. Just. (n) S. Bernard. sup. Cant. Serm. 61.

Do-

DOMINICA

INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Prædictitur Spiritus Sanctus Testimonium perhibiturus de Christo.

Mane.

PUNCTUM I.

CUm venerit Paraclitus , quem ego
mittam vobis. *Ioan. 15.* Considero (a) Patres novi , & veteris Testamenti : David, Danielem , Amos, Petrum , Paulum , & Matthæum , & aper-tis oculis fide intueor. Implet Spiritus Sanctus puerum Citharædum , & Psalmista-m facit : implet abstinentem puerum , & Judicem senum facit : implet Pasto-rem armentarium , & Prophetam facit : implet Piscatorem , & Principem Apo-stolorum facit : implet Persecutorem , & Doctorem Gentium facit : implet Pu-blicanum , & Evangelistam facit. Quam insani sumus , qui hunc Spiritum non quærimus ? *S. Greg.*

PUNCTUM II. Spiritum Veritatis. *Ibi-dem.* Spiritus mundi mendax , erroneous , & fallax , adversatur Spiritui veritatis , quem

quem mundus non potest accipere. Evita mendacia, decipere cave, fallere perhorresce: his tribus maxime fugatur Spiritus Veritatis. Recedente (*b*) Spiritu Veritatis, e tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, & repletur omni amaritudine; efficitur cubile draconum, & habitatio immundorum spirituum. Tria (*c*) in nobis Spiritus Veritatis, dum manet, præcipue operatur: monet, movet, & docet. Monet memoriam, movet voluntatem, docet rationem. Hæc Veritas sola liberat, sola salvat, sola lavat animam a peccatis.

PUNCTUM III. Qui a Patre procedit. *Ibidem.* Reête monet dilectus JESU Christo Discipulus: Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint. *i. Joan. 4.* Sæpe Princeps tenebrarum ingerit affectus in speciem bonos, desideria ad oculum pia, fervorem usque ad sudorem; sed universa hæc, aut ad vanitatem, aut ad fastidium, aut ad alium vitiosum finem coordinat. Investiga modum, quo cognoscas Divini Spiritus præsentiam. Non (*d*) oculis, quia colore caret: non auditu, quia sonus non est: non olfactu,

quia

quia sine odore est. Cognosces illum mutatione cordis tui : cum e terreno Cœleste factum videris , & e carneo spirituale.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Ille testimonium perhibebit de me. *Ibidem.* Sicut (e) ad veritatem testimonii tria requiruntur : *Sapiens scientia , bonitas non fucata , authoritas illibata ; ita tria munia testimoniū sunt : Scire veritatem , fugere falsitatem , facere credulitatem.* Quid (f) ergo est , quod nos , sæpe pro malis bonum testimonium dicimus , & pro bonis malum ? quia sæpe probatur incerta suspicio , quæ viro non convenit Christiano : en defectum Scientiæ. Quia (g) sicut nobis res cordi est , sic de ea judicamus : en defectum bonitatis. Quia veritatem aperiendo , fidem nos amissuros putamus : en defectum authoritatis. Testis (h) falsidicus , tribus est obnoxius : Deo , quem contemnit ; Judici , quem fallit ; Innocenti , quem falso testimonio lædit.

PUNCTUM II. Et vos testimonium perhibebitis. *Ibidem.* Alii legunt perhibete. *Quod*

Quod dictum est Apostolis, tibi dici autuma. Testimonium Iesu Christo perbibe, non tam sermone, quam opere. Ostende te Christianum, non solum verbis, sed & factis. Noli (i) vacuum ferre nomen atque inane; sed plenum. Tanti nominis mensuram imple: imple inquam, operibus nomine dignis. Quid (k) tibi prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum? Si Christianum te esse delectat, quae Christianitatis sunt, gere. Bonus (l) testis, bona vita; bonus Iudex, bona conscientia: coram Deo testis est conscientia; coram hominibus vita.

(a) S. Gregor. super Ezech. (b) S. Martial.
 Episc. (c) Ex S. Gregor (d) S. Bernar. in Cant.
 (e) Ex Cornel. (f) Ex Cast. (g) Thom. a Kemp.
 (h) Isidor. (i) S. Gregor. Nyssen. (k) S. August.
 (l) Hugo.

DOMINICA PENTECOSTES.

Mane.

PUNCTUM I.

Si quis diligit me, mandata mea servabit. *Ioan. 14. Quasi dicat: Qui (a) mandata mea jugiter habet in me-*

M

mo-

moria , & servat in vita ; qui habet in sermonibus , & servat in operibus ; qui habet audiendo , & servat faciendo ; qui habet faciendo , & servat perseverando : ille est , qui diligit me. Probatio dilectionis , exhibitio est operis. Nunquam amor Dei est otiosus. Operatur magna , si est ; si vero operari renuit , amor non est. Quantum (*c*) Deum diligas , debes ex dilectione Legis ejus ostendere. *Diligere , quasi de omnibus meliora eligere est.*

PUNCTUM II. Et Pater meus diligit eum. *Ibidem.* Cum (*d*) amat Deus , non aliud vult , quam amari. Quippe , non ob aliud amat , quam ut ametur. O (*e*) felix amor ! ex quo oritur strenuitas morum , puritas affectionum , subtilitas intellectuum , desideriorum sanctitas , operum claritas , virtutum fecunditas , meritorum dignitas , præmiorum sublimitas. Pro magno (*f*) diligi non debet , quidquid fine concluditur. Illa summopere diligenda : quæ nec inventa transeunt , nec adepta deficiunt. Dilige , (*g*) & fac , quidquid voles. Nihil tam facile
bo-

bonæ voluntati , quam ipsa sibi : & hoc sufficit Deo. *S. Aug.*

PUNCTUM III. Et ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus. *Ibidem.* In hac vita , per Spiritus Sancti infusionem ; in altera , per beatam visionem : utrobique per eandem charitatem : quæ (b) Sanctos discernit a Mundo , quæ facit unanimes habitare in Domio , in qua facit Pater , & Filius mansionem. Hi , nunc iis donant dilectionem , quibus in fine donabunt suam manifestationem. Veniunt ad nos , dum venimus ad eos. Veniunt subveniendo , illuminando , implendo : venimus obediendo , intuendo , capiendo. *Veni Sancte Spiritus , imple , illumina , adjurva me !*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Paraclitus autem Spiritus Sanctus. *Ibidem.* Spiritus (i) Sanctus , contra singula tentamenta erudit : ut contra stultitiam , Sapientiam : contra hebetudinem , Intellectum : contra præcipitationem , Consilium : contra timorem , Fortitudinem : contra ignorantiam , Scientiam : contra duritiem , Pie-

tatem : contra superbiam , det timorem. Reddit (k) etiam a perturbatione alienos , & incredibile gaudium tribuit : sempiterna enim lætitia in eorum corde versatur , quorum Spiritus Sanctus habitator est. Sed (l) quemadmodum ignis , & aqua simul esse non possunt : sic spirituales , & carnales delitiæ in eodem se non compatiuntur.

PUNCTUM II. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. *Ibidem.* Nisi (m) Spiritus Sanctus cordi adsit auditentis , otiosus est Sermo Doctoris. Nemo docenti homini tribuat , quod ex ore Doctoris intelligit. Nisi intus sit , qui doceat ; Doctoris lingua exterius in vanum laborat. *O quam velox est sermo Sapientiae ! & ubi Deus Magister est , quam cito discitur , quod docetur !* Ille (n) sine strepitu verborum monet , movet & docet : monet memoriam ad recolendum , movet voluntatem ad amplectendum , docet intellectum ad assequendum. *Spiritus (o) Sanctus in linguis igneis apparet , & puncto temporis , quos replevit , ardentes pariter , & loquentes fecit. O*

Lux

Lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium!

- (a) S. Augustin.
- (b) S. Gregor. homil. 30.
- (c) S. August.
- (d) S. Bernar. Serm. in Cant.
- (e) Idem de diligenc. Deo.
- (f) S. Greg.
- (g) S. Aug.
- de Verb. Dom.
- (h) Idem.
- (i) S. Greg. in moral.
- (k) S. Bern. Serm. 2. de Pentecoste.
- (l) Didym. de Spir. S.
- (m) S. Gregor. homil. 30.
- (n) V. Beda.
- (o) Ex S. Gregor.

Feria II. Pentecostes.

Dei Patris adversus Mundum Dilectio.

Mane.

PUNCTUM I.

SIC Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. *Ioan. 3.* *Quis dilexit?* Deus, qui (a) fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt. *Quem dilexit?* mundum, qui (b) totus in maligno positus est. *Quare dilexit?* gratis. In hoc est (c) charitas, non quod nos dilixerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. *Quem dedit?* non Angelum, non Archangelum, sed Filium; & hunc, non Adoptivum, sed Consustantialem; nec unum de multis, sed Unigenitum. *Quem in finem?* ut nos a servitute peccati

redimeret. *Qua ratione, quove modo?* certe non regio fastu, non militari apparatu, non triumphis; sed humilitate, passione, crucie, morte. *Obstupesce, gratias age, redama.*

PUNCTUM II. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat. *Ibidem.* Æternæ vitæ præmium (*d*) credentī dabitur: si quod creditur, & geratur. Cito (*e*) fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. *Veræ fidei dotes præcipuae sunt:* Credere simpliciter: dum intellectus captivatur in obsequium fidei. Firmiter: dum omni hæsitatione postposita, animus promptus est, ad fidem sanguine & morte contestandam. Integre: dum non aliqua solum dogmata, sed universa, quæ credenda sunt, pro fidei articulis reputantur. Operose: dum facta dictis correspondent: fides enim sine operibus mortua est.

PUNCTUM III. Sed habeant vitam æternam. *Ibidem.* O vita (*f*) vitalis! vita sempiterna, & semper beata: ubi gaudium sine mœrore; requies sine labore; dignitas sine tremore; opes sine amis-
fio-

fione ; sanitas sine languore ; vita sine morte ; perpetuitas sine corruptione. Quod Deus præparavit diligentibus se , fide non capitur , spe non attingitur , charitate non apprehenditur : desideria , & vota transgreditur. Aquiri potest , æstimari non potest. O (g) si tibi hæc saperent , & profunde ad cor transirent ! quomodo auderes vel semel conqueri ? nonne pro æterna vita , cuncta laboriosa sunt toleranda ? non est parvum quid , perdere , aut lucrari regnum Dei.

Die eadem Vesperī.

PUNCTUM I. Non enim misit Deus Filiū suū in mundū , ut judicet mundū. *Ibidem.* *Qua igitur fronte , tu tibi judicandi potestatem arrogas ?* propter (b) quod inexcusabilis es , o homo omnis , qui judicas ; in quo enim judicas alterum , te ipsum condemnas. *Sed eheu !* Maxime (i) hi temere judicant , qui magis amant vituperare , & damnare ; quam emendare , & corrigere : quod vitium vel superbiæ est , vel invidiæ. Judicet (k) ille de alterius errore , qui non habet in seipso quod condemnet. Si

*quid perperam agi videris , dicitur tibi ipsi :
Longe pejus tu faceres , si per-
inde tentareris : si non te Deus
benefica sua manu sustentaret.*

B. P. N.

PUNCTUM II. Sed ut salvetur mun-
dus per ipsum. *Ibidem.* Tantum (*l*) fuit
Domino studium tuæ salutis , ut prope-
modum de sua periclitaretur , dum te
lucraretur : oblitus quodammodo sui , de
Cruce , tacet in Cruce ; sed alta voce
exclamat : Sitio. Domine , (*m*) quid si-
tis ? ergone te plus cruciat sitis , quam
Crux ? sitio. Quid ? vestram fidem ,
vestram salutem , vestrum gaudium. *Je-
su amabilissime ! esto mihi Salvator.* Noli
(*n*) sic attendere malum meum , ut ob-
liviscaris bonum tuum. O bone JESU !
Si ego commisi , unde me damnare po-
tes ; tu non amisisti , unde me salvare
soles.

(*a*) A&t. 17. (*b*) I. Joan. 5. (*c*) Ibidem c.
4. (*d*) S. Cyprian. (*e*) S. Ambros. (*f*) S. Aug.
(*g*) Thom. a Kempis. (*h*) Ad Roman. 2. (*i*) S.
August. de Serm. Dom in monte. (*k*) S. Ambros.
super illud: Beati immaculati. (*l*) Idem. (*m*) S.
Bern. (*n*) S. Aug.

Feria III. Pentecostes.

De Ostio Ovilis Christi.

Mane.

PUNCTUM I.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. *Ioan. 10.* Ovile Ecclesia: Oves Fideles animæ: Ostium Christus: Ostiarius Spiritus Sanctus intelligitur. Quos lumine veræ fidei Spiritus S. illuminat, in Ovile Christi, per Ostium introducit. Fides (*a*) religionis Catholicae, lumen est animæ, Ostium vitæ, fundamentum salutis aeternæ. Est (*b*) autem fides substantia rerum, quas speramus, & index rerum, quas non videntur. Credere, & videre quis non debet: quod ea, quæ Deus promisit, potens sit facillime prævenire. Hæc nobis invisibilia ante oculos ponit; ad hanc ingressi potestatum hujus mundi, & harum tenebrarum universa deserimus, & Deo cum fiducia proximamus. Credere enim & sperare necesse est, quæ Deus jussit.

PUNCTUM II. Qui autem intrat per ostium , pastor est ovium. *Ibidem.* Ille (c) ad ovile ovium intrat per ostium , qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur , qui de eodem Crea-
tore , & Redemptore humani generis ve-
ra sentit & prædicat ; & prædicata cu-
stodit. *O Domine ! Sic (d)* doce me :
ut agam ; non ut tantummodo sciam ,
quid agere debeam. Nemo (e) sibi
credat , quidquid animus sine attestatio-
ne operis respondeat. Veniet (f) pro-
fecto dies ille , in quo Pastor Pastorum
adpareat , & uniuscujusque facta in pu-
blicum deducat. *Veniet , (g) inquam ,*
veniet Dominus judicii : ubi plus valebit con-
scientia bona , quam fides sola & vana.

PUNCTUM III. Huic Ostiarius aperit.
Ibidem. Ostiarius aperit ostium : *cum Sa-*
crarum Literarum Mysteria Spiritus S. pan-
dit. Quid (b) prodest in mundanis pro-
ficere doctrinis ; & marcescere in divi-
nis ? caduca sequi figmenta ; & cœle-
stia fastidire mysteria ? Nihil (i) in hac
vita dulcius sentitur , nihil avidius sumi-
tur , nihil ita mentem ab amore mundi
se-

separat , nihil sic animum contra tentationes roborat , nihil ita hominem excitat , & adjuvat ad omne opus bonum , & ad omnem laborem : ac studium Sacrarum Scripturarum.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et oves vocem ejus audiunt. *Ibidem.* Sicut (*k*) Pastori suo oves obtemperant , & viam , quamcumque ille vult , ingrediuntur : sic , qui ex Deo pietatis cultores sunt , Majoribus suis obsequi debent , nec eorum iussa curiosius perscrutari. Boni (*l*) Religiosi partes sunt , non expectare ut Superior voce , vel scripto severe præcipiat ; sed sufficit ei signum aliquod perspicuum Superioris voluntatis absque expresso præcepto videre. Illi (*m*) te dedisti propter Dominum , & jam non es tuus , sed ejus , cui te vendidisti. Ideo nihil tibi licet agere de te , sine ejus voluntate. Ipse est Dominus voluntatis tuæ ; contrectatio autem rei alienæ , invito Domino , furtum est.

PUNCTUM II. Et ingredientur , & egredientur , & pascua invenient. *Ibidem.*

In-

Ingredientur (*n*) ad fidem, egredientur autem ad spem; pascua vero invenient in æterna societate. Tu (*o*) es Domine spes mea: quidquid agendum, declinandum, tolerandum, optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum caufsa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum: sustinere se jactet pondus diei & æstus: jejunare bis in Sabbato se dicat: non esse se sicut ceteros glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Omne quod Deus pollicetur, fieri debet. *B. P. N.*

(*a*) S. Chrysost. super Matth. (*b*) S. Hieron.
 Ep. 5. (*c*) S. Gregor. (*d*) S. August. (*e*) Ex S.
 Gregor. (*f*) Idem. (*g*) Ex S. Bernar. (*h*) S.
 Isidor. L. I. de summo bono. (*i*) Hugo de anima.
 (*k*) S. Basil. (*l*) Const. p. 2. c. 2. (*m*) S. Bonav.
 (*n*) S. Gregor. (*o*) S. Bernard. Serm. 9. super:
 Qui habitat.

DOMINICA SS. TRINITATIS,
I. POST PENTECOSTEN.

*Mittuntur Apostoli ad Gentium
Conversionem.*

Mane.

PUNCTUM I.

Data est mihi omnis potestas. *Matth.* 28. Omnia (*a*) mihi licent, sed non omnia expedient. *Data est mihi potestas in quinque sensus, & in intellendi, reminiscendi, ac volendi facultates. Ignis, & aqua coram me sunt.* Deus (*b*) sensum rationis, & arbitrium voluntatis in unamquamque animam infudit; sed eam, in manu humani consilii moderandam reliquit, ejusque officia, juri hominis, dominioque commisit. Ut, si malum appeteret, in arbitrii libertate permisum sibi sciret; si autem bonum cuperet, actionem, & perfectionem ejus a Condитore deposceret. *Agnosce imbecillitatem tuam; pete Divinum adjutorium; adepto cooperare.*

PUNCTUM II. In Cœlo, & in terra.
Ibidem. Christus Regiam, & absolutam

po-

potestatem in Cœlum & terram jure sibi vendicat meritorum. Cœlum enim deseruit, dum de Cœlo descendit factus homo ; in terra autem labores, ærumnas, & mortem toleravit. Regnum (*c*) Cœlorum vim patitur. Grandis violentia est, generatos in terra Cœlum quærere, & possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. Regnum (*d*) Cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Regnum (*e*) Cœlesti aliud non quærit pretium, nisi te ipsum. Quid turbaris de pretio ? Christus se ipsum dedit.

PUNCTUM III. Euntes ergo docete omnes gentes. *Ibidem. Ad docendum a Deo destinatus es. Da, (f) & accipe, & justifica animam tuam : id est : Verbum doctrinæ, & bonorum operum exempla proximis impende, ut recipias præmium vitæ æternæ. Perfecti (g) doctoris est, patienter discipulos tolerare. Fœdius (*b*) nihil est Præceptore furioso : qui, cum debeat esse mansuetus; torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis convitiis, facie inter ru-*

bo-

borem & pallorem variata , clamore perstrepitat ; errantes non tam a bono retrahit , quam ad malum sua fævitia præcipitat. Res namque circa quam versamur (*i*) tanti momenti est , ut ministros maxima charitate , patientia , aliisque virtutibus præditos requirat.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti. *Ibidem.* Inquirere (*k*) de Trinitate , perversa curiositas est ; credere & tenere sicut Sancta Ecclesia tenet , fides , & securitas est ; videre autem eam sicuti est , perfecta , & summa felicitas est. O (*l*) Beata Trinitas ! ad te mea miseria suspirat , quoniam a te infeliciter exulat. Discedens a te , heu ! quantis se intricavit erroribus , doloribus , & timoribus ? ratio sæpiissime fallitur , voluntas perturbatione jaçtatur , memoria oblivione confunditur. *Te invocamus , te laudamus , te adoramus , spes nostra , salus nostra , honor noster , O Beata Trinitas !*

PUNCTUM II. Docentes eos servare omnia , quæcunque mandavi vobis. *Ibidem.*

dem. Si quis (*m*) unum mandatum custodiat, & aliud prævaricetur; nihil ei prodest. Tu, qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris; etiam hic eam inter amarissimas hujus vitæ molestias, suavem, jucundamque gustabis: si ejus, qui eam promisit, præcepta dilexeris. Nec ideo (*n*) putas aliqua contemnenda esse mandata, quia leviora sunt: tam enim maxima illa, quam minima imperata sunt: & contemptus cujuscunque præcepti, præcipientis injuria est.

(*a*) *i. ad Cor. 6.* (*b*) *S. Augustin.* (*c*) *S. Hieronym.* (*d*) *S. Gregor.* (*e*) *S. Augustin.* (*f*) *Idem.* (*g*) *S. Gregor.* (*h*) *S. Hieronym.* (*i*) *In Proœm. Const.* (*k*) *S. Bern.* (*l*) *Idem Serm. 11. super Cant.* (*m*) *S. Aug.* (*n*) *S. Hieron.*

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Mane.

PUNCTUM I.

Caro mea vere est Cibus. *Ioan. 6.*
Cibus (*a*) hic animæ verus, & sincerus per speciem, & Sacramentum,
suo

suo nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate confirmat. Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste supersubstantialis vita est animae, & sanitas mentis. Sicut corpus sine corporeo cibo non sustentatur in vita naturali: ita anima sine hoc cibo vitali, non persistit in vita Gratiae Spirituali. *In hoc Sacramento admirabili Christus (b) tangi potest affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non sensibus.* Tanges manu fidei, desiderii digito, devotionis amplexu, tanges oculo mentis.

PUNCTUM II. Et sanguis meus vere est potus. *Ibidem.* O ebrietas felix! (c) O facetas salutaris! quae, quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur. Et Judas bibit; sed non saturatur: nec sitim extinguit ignis aeterni: quia indigne fitivit Mysteria Christi. Sicut (d) corporalis cibus, & potus, quum ventrem invenierit humoribus occupatum, amplius laedit, magis nocet, & nullum praestat auxilium: ita & iste Spiritualis cibus, &

potus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet; non sua natura, sed accipientis vitio. *Sumunt boni, sumunt mali; sorte tamen inæquali: vitæ, vel interitus.*

PUNCTUM III. Et ego vivo propter Patrem. *Ibidem.* Antequam (*e*) conseretur, panis est; ubi vero verba Christi accesserunt, vivum Corpus Christi, est. Si (*f*) tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret: non valabit sermo Christi, ut species elementorum mutentur? Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat: non potest, ea quæ sunt, mutare in illud, quod non sunt? non minus est, novas rebus dare formas; quam mutare naturas. Ne autem horror quidam esset cruoris, sed maneret gratia Redemptoris: ideo in similitudine quidem accipis Sacramentum; sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris: *ut vi-vas propter Christum.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Hic est panis, qui de Cœlo descendit. *Ibidem.* O (*g*) æternæ Ve-

Veritas, & vera Charitas, & chara Æternitas ! contremui angore, & horrore, tanquam audirem vocem tuam de excelso : Cibus sum grandium : cresce, & manducabis me ; nec tu me, in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ : sed tu mutaberis in me. O quam (b) suavis est Domine Spiritus tuus ! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de Cœlo descendente illos reficere dignaris. *Vere Panis Angelorum, facte cibus viatorum, Tu nos pasce, nos tuere, Tu nos bona fac videre in terra viventium !*

PUNCTUM II. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Ibidem.* Vivificat (i) Corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cujusquam, sed ipsius Vitæ Corpus est. Virtutem Incarnati Verbi retinet, & ideo plenum potestate illius est, quo universa vivunt, & sunt. Corpus nostrum non potest consequi immortalitatem, nisi immortali Christi Corpori fuerit conjunctum. Habeat interim, ab hoc Pane, secundum Spiritum,

tum, vitam gratiæ: ut participet in resurrectione mortuorum vitam gloriæ.

(a) S. Chrysost. de Cœn. Dom. (b) S. Bern. Sermo. I. in Cant. (c) S. Hieronym. (d) S. Chrysostom. homil. 5. super Matth. (e) S. Ambros. de Sacr. (f) Idem L. 3. de iisdem. (g) S. August. L. 7. Conf. cap. 10. (h) Thom. a Kemp. (i) S. Cyri.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI. II. POST PENTECOST.

Cœna magna.

Mane.

PUNCTUM I.

Homo quidam fecit Cœnam magnam. *Lucæ* 14. Homo (a) iste est Deus Pater, qui nobis magnam in Christo Cœnam paravit. In (b) Christi Corpore, vita nostra consistit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Si non mutat vitam, ad judicium accipit vitam. Hæc (c) singularis viætima, ab æterno interitu animas solvit, quæ nobis mortem Unigeniti reparat: qui licet surgens a mortuis jam non moritur, tamen pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. *Non Angelum,*

tum, (d) non Archangelum; sed ipsum horum Dominum tangis, & comedis: quomodo ergo non borrescis, & secularium escarum amorem non abjicis?

PUNCTUM II. Et misit servum suum hora Cœnæ dicere invitatis, ut venirent. *Ibidem.* Hora hæc, jam inde a Cœna Christi ultima fluere, & tu ministerio Apostolorum invitari cepisti. Non est (e) communionis tempus festum, aut celebritas; sed conscientia pura, vitaque a peccatis perpurgata. Si probiberis quotidie communicare *Sacramentaliter*; communica desiderio, & *spiritualiter*. Quotidie (f) accipe, quod tibi quotidie profit. Quotidie paratus esto. Qui (g) aliter se non præparat, nisi instante festo, vel consuetudine compellente; sæpius imparatus erit.

PUNCTUM III. Et ceperunt simul omnes excusare. *Ibidem.* Quid (h) per villam, nisi terrena substantia? quid in quinque jugis boum, nisi quinque corporis sensus? quid per uxorem, nisi voluptas carnis accipitur? Habentem (i) adhuc voluntatem peccandi, gra-

vari magis dico Eucharistiae perceptione, quam purgari. Et ideo, quamvis peccato quis moderetur, nec peccandi habeat voluntatem, satisfaciat lachrymis, & orationibus: & confidens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hæc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravant. S. Aug.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Tunc iratus Paterfamilias. *Ibidem.* Nihil (*k*) est, quod adeo indignationem provocet Altissimi, sicut ingratitudo. Ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. Exi cito in plateas, & vicos Civitatis, & pauperes, ac debiles, & cœcos, & claudos introduc huc. *Ibidem.* Pauperes: *ab omni affectu rerum mundanarum liberos.* Debiles: qui suis diffisi meritis, spem omnem in morte, & meritis Salvatoris constituant. Cœcos: qui & intellectum captivant in obsequium fidei, & sensus a rebus illicitis cobibent. Claudos: qui reverenter adorant Sanctissimum Sacramentum.

PUN-

PUNCTUM II. Domine factum est,
 ut imperasti, & adhuc locus est. *Ibidem.*
Nondum completus est numerus electorum:
adhuc in cœlesti convivio locus superat. Sed
 vide, qui *admissi* sint ad Cœnam Agni in Re-
 gno Dei? Mendici, (*l*) debiles, clau-
 di, & cœci. Illi autem non venerunt:
 divites, fani, quasi bene ambulantes,
 & caute cernentes, & multum de se se
 præsumentes. Veniant mendici: quia
 ille invitat, qui propter nos pauper fa-
 ctus est. Veniant debiles: quia non
 est opus sanis medico, sed male haben-
 tibus. Veniant claudi, qui ei dicant:
 Compone gressus meos in semitis tuis.
 Veniant cœci, qui dicant: Illumina
 oculos meos, ne unquam obdormiam
 in morte. Talium etenim est Regnum
 Cœlorum.

(*a*) S. Cyrill. (*b*) S. Augustin. (*c*) S. Greg.
 in Dialog. (*d*) Ex S. Chrysost. (*e*) Idem. (*f*)
 S. Augustin. (*g*) Thom. a Kemp. (*h*) S. Gregor.
 (*i*) S. Augustin. in Libr. de Ecc. Dogmat. (*k*)
 Petr. Raban. (*l*) S. Augustin. Serin. 34. de Verb.
 Dom.

DOMINICA III.

POST PENTECOSTEN.

Parabola Ovis perditæ.

Mane.

PUNCTUM I.

ERANT APPROPINQUANTES AD JEsum publicani, & peccatores, ut audirent illum. *Lucæ 15.* Multi (*a*) vocem prædicationis audiunt; sed post vocem vacui recedunt. Multi legunt, & ab ipsa lectione jejuni surgunt. Quia, et si mente intellectum Sacri Verbi percipiunt; obliviscendo, & non servando, quæ audiunt, hæc in cordis viscera non reponunt. *Verba (b) Dei*, quæ aure percipis, mente retine. Cibus mentis sermo Dei est. Quasi cibus a languente stomacho rejicitur, quando auditus Dei sermo memoria non tenetur. Sed, quisquis alimenta non retinet, bujus profecto vita desperatur. Æternæ mortis periculum formida, si rerum Divinarum nauseam contraxeris.

PUNCTUM II. Et murmurabant Phari-

risæi, & Scribæ. *Ibidem.* *Murmurare, Judaicæ perfidiæ proprium est.* Hoc (*c*) odiosæ derogationis sibilo, alter in alterius odium excitatur. Qui (*d*) contra supra positam sibi potestatem murmurat, liquet: quod illum redarguit, qui eandem homini potestatem dedit. Si (*e*) is, qui murmurat, secundum animam mortuus est: qui instigat, quomodo vivet? *Utrumque fuge.* *Alias non judæos solum, sed & ranas imitabere: quæ de die tacent; clam vero, & in tenebris coaxant.* Obmurmurations tam de nostris, quam de externis non fiant. *Const. p. 2. c. 7.*

PUNCTUM III. Quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis. *Ibidem.* *Solius Christi, & virorum Apostolicorum, quibuscum donum hoc communicat, virtutis est, inter malos non perverti.* Rerum (*f*) natura est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioreatur; sed ex malo bonus contaminetur. Diversitas rerum, nunquam potest habere concordiam. Multos solicitat societas nefanda. Non potest falli Spiritus

tus Sancti oraculum : Cum Sancto Sanctus eris , & cum viro innocentे innocentis eris : & cum electo electus eris ; & cum perverso perverteris. *psalm.* 17. **Si in Religione inter bonos non es bonus , quomodo inter malos eris bonus ? B. P. N.**

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Et ait ad illos parabolam. *Ibidem.* *Parabola ovis perditæ , importunum Iudæorum murmur retudit Christus.* Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam. *Isai.* 53. *Et hinc est , quod Cœlestis Pastor cum (g) invenisset ovem , non punivit ; non duxit ad gregem urgendo ; sed superponens humero , & portans clementer adnumeravit gregi.* *Et quorsum hæc ? ut tibi corrigendi modum porrigeret.* Si (b) is , qui corrigeremur nititur , ira supprimatur ; opprimit , antequam corrigit . Regat disciplinæ rigor mansuetudinem , & mansuetudo ornet rigorem. Sic alterum commendetur ex altero : ut nec rigor

gor sit rigidus , nec mansuetudo disso-
luta.

PUNCTUM II. Congratulamini mihi ,
quia inveni ovem meam. *Ibidem*. Ovis
(i) perdita nunquam reverteretur , nisi
pii Pastoris misericordiam consequere-
tur. *O clementissima (k) Pietas* , quæ be-
neficia largiri non definis , non solum ubi
nullum repereris meritum , sed etiam ubi to-
tum invenisti contrarium ! Quoties ego
(l) peccabam , & tu dissimulabas ; ego
non continebam a sceleribus , & tu ab-
stinebas a verberibus : ego prolongabam
multo tempore iniquitatem meam , &
tu Domine pietatem tuam. *Ignorant
bonitatem tuam* , qui nolunt converti ad te
Deus meus ! Neque (m) ob aliud re-
nuunt , nisi quia gravem , & severum
imaginantur , qui pius es ; durum , & in-
placabilem , qui misericors es.

(a) S. Gregor. (b) Ex Eodem. (c) Hugo.

(d) S. Gregor. in moral. (e) S. Bernar. (f) S.
Chrysoft. super Matth. (g) Nyſſ. in Caten. (h)
S. Gregor. (i) S. Augustin. (k) Ex S. Bernar.
(l) Idem. (m) Idem.

DOMINICA IV.

POST PENTECOSTEN.

Captura Piscium.

Mane.

PUNCTUM I.

AScendens in unam navim , quæ erat Simonis , rogavit eum a terra reducere pusillum. *Luc. 5.* Duas naves vidit **J**esus secus stagnum : alteram sacram Petri , alteram profanam Zebedæi . Jam Religiosam Petri cum Christo ascendisti ; a terra ergo , & a terrenorum ambitu recede. Recede animo , qui corpore recessisti . Qui (*a*) tantum corpore remotus vivit , sed tumultibus conversationis humanæ , & terrenorum desideriorum , cogitatione se infert ; non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis , & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur ; non est in urbe. O beata solitudo , o sola beatitudo !

PUNCTUM II. Et sedens docebat de navicula turbas. *Ibidem.* De Petri navicula cum **J**esu doces , si Evangelicæ perfec-

ctio-

ctionis studiosus, verborum (*b*) tuorum es ipse exemplum : ut magis opere doceas, quam sermone. Plus homines oculis credunt, quam auribus. Longum iter per præcepta ; breve, & efficax per exempla. *Sede itaque in navi Petri, & bene sede.* *Bene sedebis, si bene docebabis.* Qui (*c*) male federit, injuriam Cathedræ facit. Si bene vixeris, & bene docueris, omnium judex eris. Si male vixeris, & bene docueris : tui solius. Bene docendo, Populum instruis ; male vivendo, Deum doces, quomodo te debeat condemnare. Aliis prodesse, & sibi obesse; stultitia, non charitas est. *B. P. N.*

PUNCTUM III. Duc in altum, & laxate retia. *Ibidem. Retia in altum ducimus, dum ad solius Dei gloriam omnem vitam nostram ordinamus.* *Potest unusquisque, potest (*d*) cuncta facere ad gloriam Dei, ita ut facta, dictaque illius omnia, omnisque operatio vim laudis habeat.* Sive edat justus, sive bibat, omnia ad laudem Dei facit. Vigilanti cu-

cura, per cuncta opera intentio nobis pensanda est: ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat; sed totam se in soliditate æternitatis figat. Non Deo, sed sibi servit; qui in Dei servitio, non Dei, sed sua procurat commoda. *B. P. N.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Per totam noctem laborantes nihil cepimus. *Ibidem.* Nihil pretiosius (*e*) tempore; & heu! nil hodie vilius invenitur. Transit dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi perire diem, & nunquam redditum caussatur. Quot (*f*) dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum, tot passibus propinquamus. *Nil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenemus, amittimus.* Omnia (*g*) aliena sunt, tempus tantum nostrum est. Quotidie est deterior posterior dies. Si (*h*) toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiſo emissus est, certo videres vitam tuam non fuisse diuturnam. Furtum
fa-

facit, qui in Religione sine frumentu vivit. *B. P. N.*

PUNCTUM II. In verbo autem tuo laxabo rete. *Ibidem.* *Nihil Deo acceptius est resignatione voluntatis nostræ in Divinam.* *Voluntas Dei est:* aliquando (*i*) ut sanus sis, aliquando ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; & quando ægrotas, amara est voluntas Dei: non recto corde es. Quare? quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei; sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu curvus. *Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda ad te.* Verbis piis quæ patientiam præferant utendo, ostendes morbum de clementissima Dei manu, uti donum a te acceptari: cum revera ægritudo, non minus donum sit, quam sanitas. *Const. p. i. c. 9.*

(*a*) S. Gregor. L. 30. Moral. (*b*) Author. Imperf. (*c*) S. Chrysost. (*d*) S. Basil. in ps. 33. (*e*) S. Bern. (*f*) S. Gregor. (*g*) Seneca. (*h*) S. Augustin. (*i*) Idem.

DOMINICA V.

POST PENTECOSTEN.

Moderamen Iracundiae.

Mane.

PUNCTUM I.

Nisi abundaverit Justitia vestra plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.

Matth. 5. Omnes (*a*) virtutum species uno Justitiæ nomine continentur. Justitia (*b*) magis aliis, quam sibi prodest. Vera Justitia (*c*) est reddere unicuique, quod suum est. Tribue tribus, quæ sua sunt: Superiori, æquali, inferiori. Redde reverentiam Prælato, & obedientiam: quarum altera cordis, altera corporis est. Tribue æquali consilium: quo ignorantia arceatur. Tribue subiecto custodiam: ut possit cavere peccatum. *Noli tamen animæ, & salutis tuæ oblivisci: utrique tribue, quæ sua sunt.*

PUNCTUM II. Dictum est antiquis, non occides. *Ibidem.* Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ezech. 18.* O durus (*d*) imo durissimus casus! heu! quid

quid perdit homo peccando , & quid invenit ? perdit beatitudinem , ad quam factus ; & invenit mortem , ad quam factus non est. Peccando exit a patria, in exilium ; a visione, in cœcitatem ; a jucunditate immortalitatis , ad corruptionem mortis. O misera conditio ! gravis dolor ! grave damnum ! grave tormentum !

PUNCTUM III. Ego autem dico vobis , quia omnis , qui irascitur fratri suo , reus erit judicio. *Ibidem.* Per (*e*) iram justitia relinquitur , gratia vitæ socialis amittitur , concordia rumpitur. Iræ stimulis accensum cor palpitat , corpus tremit , lingua se præpedit , facies ignescit. Deus (*f*) nihil ita odit , & aversatur , ut hominem ultionis avidum. Tantum hujus peccati damnum est , ut Dei misericordiam revocet , nec locum habere sinat. Qua fronte , dimitti sibi delicta petit homo iræ subjectus , qui debitoribus suis dimittere recusat ? quomodo placabis Patrem , iratus in fratrem ? Plurimum placet Domino , illis

O be-

bene facere, qui nobis male faciunt. *B. P. N.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Qui autem dixerit fratri suo , fatue , reus erit gehennæ ignis. *Ibidem.* Convitum levis quidem sermo est , quia (g) leviter volat , sed graviter vulnerat. Leviter transit , sed graviter urit. Leviter animum penetrat , sed non leviter exit. Leviter profertur , sed non leviter revocatur. Facile volat , ideo charitatem facile violat. *Sed prob dolor ! invenias (b) non paucos , fictis pacis blandimentis litium pugnas introire.* Quid istic infelicius ? quid periculosius esse potest : qui fallacis linguæ studio , vitæ insidiantur alienæ ? In quiete vives , si una regnet Passio Christi in te , & reliquæ sint mortificatæ. *Beat. P. N.*

PUNCTUM II. Si ergo offers munus tuum ad altare. *Ibidem.* Discordes (i) tamdiu nullum boni operis sacrificium immolant Deo , quamdiu a proximorum cha-

charitate discordant. Qua in re illud pensandum est : cum omnis culpa munere altaris solvatur , quam gravis est culpa discordiae , pro qua nec munus accipitur ? Si contristaveris in aliquo fratrem tuum , satisfac illi : si peccaveris in eum , age pœnitentiam coram illo. Si offenderis quemquam , cito veniam postula ; nec conquiescas , nisi reconciliatus fueris fratri tuo. *S. Greg.*

(a) S. Hieronym. ad Demetr. (b) S. Ambr.
 (c) S. Bern. (d) S. Ansel. (e) S. Ambros. 15.
 Moral. (f) S. Chrysost. Epist. 8. (g) S. Bernard.
 (h) Anonym. (i) S. Gregor.

DOMINICA VI.

POST PENTECOSTEN.

*Quatuor millia hominum septem
 panibus saturat Christus.*

Mane.

PUNCTUM I.

Misereor super turbam. *Marc. 8.* Totum (a) quidquid sum , Domine de misericordia tua est. Ut enim essem , quid feci ? ut essem , qui te invocarem , quid egi ? quia nemo te in misericordia

largior ; a quo accepi , ut essem , ab eo
accepi ut bonus essem. Deus meus !
misericordia mea ! misericordia tua Domi-
ne , me (b) a multis peccatis custodivit.
Quis enim non videat , quod sicut in
multa cecidi , sic & in alia poteram ce-
cidisse peccata ; nisi tuæ me misericor-
diæ pietas præservasset ? fateor , & fa-
tebor : nisi Dominus adjuvit me , paullo
minus cecidisset in omne peccatum ani-
ma mea.

PUNCTUM II. Quia ecce jam triduo
sustinent me. *Ibidem. Quanta est Dei no-*
stri misericaudia ! non triduo , sed longo vi-
tæ tempore sustinet : (c) qui aut præsu-
mendo de Dei bonitate , aut desperando ex
eius ultione , peccata peccatis accumulant.
Utrisque succurrere volens Pater misericor-
diarum , illis , (d) qui spe periclitantur , dicit :
Eccles. 5. Ne tardes converti ad Domi-
nnum , neque differas de die in diem :
subito enim veniet ira illius , & in tem-
pore vindictæ disperdet te. Illis , qui
desperatione periclitantur , quid dicit ?
In quacunque die impius conversus fue-
rit , omnes iniquitates ejus obliviiscar.

Pro-

Propter illos , qui desperatione periclitantur , proposuit indulgentiæ portum : propter illos , qui spe , & dilationibus luduntur , fecit diem mortis incertum.

PUNCTUM III. Si dimisero eos jejunos in domum suam , deficient in via. *Ibidem.* *Si jejunus in virtutum progressu fueris , in via perfectionis deficies.* Ipse (*e*) hominis , seculique Author , quamdiu cum hominibus conversatus est , nunc quid stetit ? & quidem teste Scriptura : pertransiit benefaciendo , & sanando omnes. Pertransiit , sicut non infructuose , ita non remisse , non pigre , non lento gradu ; sed quemadmodum de eo scriptum est : exultavit ut gigas ad currendam viam. Quid prodest Christum sequi , si non contingat assequi ? Ibi ibi fige tui cursus , profectusque mettam , ubi Christus posuit suam. Factus est , inquit , obediens usque ad mortem.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et accipiens septem panes , gratias agens fregit. *Ibidem.* Quid (*f*) melius & animo geramus , & ore

promamus, & calamo explanemus: quam
Deo gratias? Invitat (g) ad magna,
qui gratanter suscipit modica. Si tamen
Dei donum aliquod est, quod modicum dici
queat. Qui (h) quanta sibi gratia col-
lata sit, nescit; quantas largitori grates
debeat, non intelligit. Omnia (i) pec-
cata sic habenda sunt, tanquam dimit-
tantur; a quibus Deus custodit, ne
committantur. Si gratus esse debet, cui
donatum est, ne redderet; quanto magis
gratus esse debet, cui donatum est, ut ha-
beret? Si Domine benedictum semper San-
ctum nomen tuum: In (k) prosperis, quia
consolaris; in adversis, quia corrigis:
antequam essem, quia fecisti me; cum
peccasse, quia ignorasti; cum con-
versus essem, quia adjuvasti me.

PUNCTUM II. Et habebant pisciculos
paucos. *Ibidem.* Servus Dei non
vivit ut comedat; sed comedit,
ut vivat. *B. P. N.* Famentum ne-
cessitati prospexit Christus, non voluptati.
Cor habet in ventre gulosus: imo totus ven-
ter est, cui Deus venter est. Malæ (l)
Do-

Dominæ servitur gulæ , quæ semper exceptit , nunquam expletur. Quid insatiabilius ventre ? hodie suscipit , cras exiget : & quum impletus fuerit , disputatur de continentia ; cum digesserit , vale virtutibus dicitur. *Plurimos gula occidit , nullum frugalitas.* Gula (*m*) Paradisum clausit , primogenita vendidit , suspendit pistorem , decollavit Baptistam. Revera ceteris vitiis nemo potest dominari , nisi prius ingluviem restrinxerit ventris. *Const. P. 2. c. 4.*

(*a*) S. August. (*b*) S. Bern. (*c*) Ex S. Aug.
 (*d*) Idem. (*e*) S. Bern. (*f*) S. August. (*g*) Cass.
 (*h*) Idem. (*i*) S. Augustin. (*k*) Idem. (*l*) S.
 Ambros. (*m*) S. Gregor.

DOMINICA VII.

POST PENTECOSTEN.

De falsis Prophetis vitandis.

Mane.

PUNCTUM I.

A ttendite a falsis Prophetis , qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.

Matth. 7. Nemo (*a*) potest personam

fictam diu circumferre. Sæpe putatur necessitas, & est amoris proprii importunitas. Utilitatis, honestatis, necessitudinis pallio vestiri amat philautia. Res est profecto omnium pessima, hominem falli a semetipso. Simulata (*b*) æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas. Totius (*c*) injuriæ nulla capitalior, quam eorum, qui cum maxime fallant, id agunt, ut boni viri videantur. Nulla res sic exterminat bonum, atque simulatio. Servus Dei studet esse, & non studet videri Sanctus. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Ibidem.* Lupus (*d*) tectus pelle ovina, per vocem cognoscitur, & per actum. Ovis balat inclinata deorsum; lupus ululat contra Cœlum: hoc superbiæ, illud humilitatis signum. *Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus.* Quid (*e*) nos dicturi sumus, si iniqua operibus docemus, & sola voce, ea quæ sunt justa prætendimus? Offa jejunis atteruntur, & mente turgemus: corpus despectis vestibus tegitur, & elatione-

tione mentis purpuram superamus : jacemus in cinere , & excelsa non despiciamus : Doctores humilium , Duces superbiæ : ovium facie , lupinos dentes abscondimus.

PUNCTUM III. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Ibidem.* *Vera sanctitudo* (f) *vult jactantiam tollere , pomparam auferre , submovere inanem gloriam.* *Vera pietas per se sibi abundat :* *spectaculum populorum , vulgi laudes , favores hominum non requirit.* *Fucata sanctimonia* (g) *mentitur oculis , fallit aspectu , videntibus illudit , decipit audientes , seducit turbas , famam vendit , clamorem emit , mercudem rapit præsentem , præmium non quærit futurum.* *Hypocritæ* (h) *ante districtum Judicem excusationem de ignorantia habere non possunt :* *quia dum ante oculos hominum , omnem modum Sanctitatis ostentant , ipsi sibi sunt testimonium , quia bene vivere non ignorant.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Numquid colligunt de spinis uvas ? *Ibidem.* *Quia* (i) *multi si-*

mulantes, & ficti, ideo difficile inveni-
tur, in quo cor, & facies, id est: ope-
ratio, atque doctrina conveniat. Quum
hoc inveneris, da gloriam Deo: quia
hoc ejus donum est. Si (k) bonum est,
bonum esse; ut quid vis apparere, quod
non vis esse? si malum est, malum esse;
ut quid vis esse, quod non vis appare-
re? si bonum est, bonum apparere; me-
lius est bonum esse. *Sic tu cupis esse (l)*
humilis sine despectu; pauper sine defectu.
Per caussas Dei, intentioni deservis seculi.
Vis scire Divina eloquia, nec tamen perfic-
cere; vis docte loqui, non tamen vivere.
Væ tibi, qui alios verbo instruis,
& exemplo destruis. B. P. N.

PUNCTUM II. Non omnis, qui dicit
mihi Domine, Domine, intrabit in Re-
gnum Cœlorum. *Ibidem.* Regnum (m)
Cœlorum sola verborum officia non ob-
tinent. De nostro est Beata æternitas
promerenda. Vox (n) omnium Chri-
stum clamat, sed factum non clamat.
Discedat (o) ab iniuitate omnis, qui
invocat nomen Domini. Ab omni (p)
ne-

nequitia mundum necesse est esse , & dolo , qui cupit regnare cum Christo. Æterna vita , non nisi per omnem præceptorum Divinorum custodiam promereri potest.

(a) Seneca. (b) S. August. (c) Hugo. (d) S. Chrysost. (e) S. Gregor. (f) Ex Petro Raban, (g) Idem. (h) S. Gregor. (i) S. Hieronym. (k) S. Chrysostom. (l) Ex S. Bernar. (m) S. Hilar. (n) S. Greg. (o) S. August. (p) S. Hieron.

DOMINICA VIII.

POST PENTECOSTEN.

De Villico iniuitatis.

Mane.

PUNCTUM I.

Homo quidam habebat villicum , & hic diffamatus est apud illum. *Lucæ 16.*
*Hæc quidem villici diffamatio licita esse potuit , siquidem facta apud solum villæ Domini-
num , ad quem id scire pertinebat ; sed , qua-
ratione , culpa carere possunt infamantia col-
loquia , quibus absentes passim denigrantur ?*
 Plus (a) nocent in membris detrahen-
 tes Christo ; quam qui ejus carnem mox
 resurrecturam peremerunt. Quamvis
 (b)

(b) quis vitam fide muniat , scientia regat , castitate , & sobrietate componat : nihil est , quod in homine placeat , si lingua displiceat . Quid istis infelicius , quid periculosius esse potest , qui fallacis linguæ studio , vitæ insidiantur alienæ ?

PUNCTUM II. Et vocavit illum , & ait : quid hoc audio de te ? *Ibidem.* *Quidquid , dum vivis habere , possidereque videare :* non es Dominus , sed villicus , strictam redditurus rationem . *Corpus & anima , intellectus & memoria , artes & scientia , reliquaque omnia , non tua , sed Dei sunt.* Prorsus (c) erronea opinio est , possideri a nobis ut Dominis res hujus vitæ , & ut bona propria . Sumus velut hospites , & advenæ , quibus hinc descendum est , & dispensatores alienorum . Nihil est nostrum , sed omnia sunt datoris Dei . Nullus est (d) qui veraciter dicat : nihil accepi : non est , unde rationem reddam .

PUNCTUM III. Redde rationem villicationis tuæ . *Ibidem.* *Quid , si hæc eadem verba hodie audias ? & tamen citius , quam*

quam cogitas , veniet dies novissima , in qua dicetur tibi : redde rationem villicationis tuæ. Subito (e) extractus e corpore , præsentaberis ante tremendum Judicem , accusaberis multis & magnis offensis : non dubiis , sed certis ; non brevi accusatione , sed tam longa , quam longa est vita tua ; non uno accusatore , sed tot , quot sunt delicta tua. Undique erunt tibi angustiæ : hinc erunt peccata accusantia , inde terrens Justitia : subtus patens horridum chaos inferni , desuper iratus Judex : intus urens conscientia.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quid faciam , fodere non valeo , mendicare erubesco. *Ibidem.* Post (f) hanc vitam , non est locus fodendi compunctione terram animæ , ad ferendum fructum pœnitentiæ. Erit (g) quidem ibi pœnitentia , sed infructuosa , quia sera. Hodie hortatur te , ne judicet te. Qui Judex tuus futurus est , hodie Advocatus tuus est. Ante ultimum diem compone caussam tuam. Si vis (h) agere pœnitentiam , quando jam peccare non potes ; peccata te deferrunt,

runt, non tu illa. Quem in extrema necessitate suæ valetudinis, morbus urget, & pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem. Multos solet ferotina pœnitentia decipere. *Quid, si te quoque deceperit?*

PUNCTUM II. Scio quid faciam. *Ibidem.* *Amicos sibi conciliat villicus, qui eum recipiant in domum suam: fac tu similiter tibi amicos* (i) *venerando Dei Sanctos: ut cum defeceris in hac vita, recipiant te in æterna tabernacula.* Sed, ut Sancti (k) pro nobis absque ulla dubitatione intercedant, necesse est, ut aliquid in nobis de suis virtutibus agnoscant. Primus (l) gradus pietatis est, Sanctitatem diligere, postea Sanctos. Quem delectat alicujus Sancti meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare, aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat.

- (a) S. August. Defin.
- (b) S. Valer. Episcop.
- (c) S. Chrysost. in Catena.
- (d) Ex S. Gregor.
- (e) S. Bern.
- (f) Glossa.
- (g) S. August. in psal. 51.
- (h) Idem alibi.
- (i) Ex Thom. a Kemp.
- (k) S. Augustin. Serm. 20. de Martyr.
- (l) S. Chrysost.

DOMINICA IX.

POST PENTECOSTEN.

Jesus deflet excidium Ierosolymorum.

Mane.

PUNCTUM I.

Jesus videns Civitatem flevit super eam.

JLucæ 19. Videtur (*a*) Christus præ ceteris tria flere , quæ maxime in Clericis videntur deficere : scilicet , fervorem internæ devotionis amissum ; amorem Dei ad terrena translatum ; & exemplum boni operis proximis sublatum. Flentem (*b*) Christum frequenter invenies , nunquam ridentem. Mirum , quomodo Christianus , memor iniquitatis suæ , memor districti judicii , possit in risum resolvi ? gemitus , luge , deplora : sed non rerum terrenarum damna , non lucra , non morbos , non calumnias ; verum peccata.

PUNCTUM II. Si cognovisses & tu , quæ ad pacem tibi. *Ibidem*. Pax vera (*c*) est , concordiam habere cum moribus probis , & litigare cum vitiis. Amicæ

cæ sunt pax, & justitia. Tu (*d*) forte vis unam, & alteram non facis? nemo est, qui non velit pacem; sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnem hominem: vis pacem? uno ore respondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Lingua sæpe pacem prædicat, sed sæpius turbat. Hæc (*e*) est vera pax: a Dei voluntate non dividi, & in his, quæ solius Dei sunt, delectari. Quietissimam (*f*) vitam agerent homines, si hæc duo verba, a natura rerum omnium ablegarentur: Meum, & Tuum.

PUNCTUM III. Quia venient dies, & circumdabunt te inimici tui. *Ibidem.* Veniet tandem dies, & hora, qua sensibus destitutus, lethali morbo oppressus, metus futurorum exanimatus, circumdatum te ab inimicis tuis invenies. A dextris (*g*) erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia; intus conscientia rodens, foris mundus irridens. Miser homo! quare omni hora te non disponis? cogita te jam mortuum, quem scis necessitate moriturum. Cogita peregrinatio-

tionis tuæ miseriam : recogita annos tuos
in amaritudine animæ, recogita vitæ hu-
manæ pericula.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et ingressus in templum ce-
pit ejicere vendentes in illo. *Ibidem. Hoc*
Christi miraculum, omnium ab ipso patratorum
maximum Divus Hieronymus profitetur :
quod (*b*) ad unius flagelli verbera, tantam
ejicere multitudinem , mensasq; subverte-
re, & Cathedras confringere , & alia face-
re potuerit ; quæ infinitus exercitus non
fecisset. *Nisi ejici velis e domo Domini ,*
cave illam orationis cumprimis tempore pro-
fanare. Domus Domini domus orationis
est. Et ecce ! alius ex domo Domini fa-
bricat sibi culinam , alius sylvam , scholam
alius , alius officinam : quod nempe animo
*volutat. Nemo (*i*) in oratorio aliud*
agat, nisi ad quod factum est , unde &
nomen habet. S. Aug.

PUNCTUM II. Vos autem fecistis il-
lam speluncam latronum. *Ibidem. Vide-*
*bantur (*k*) licite vendi in templo , quæ*
ad hoc emebantur , ut in eodem tem-
pto offerrentur Domino. Sed nolens

ipse Dominus, aliquid in domo terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honesta putaretur, exhiberi; disputit negotiatores, & foras cum iis, quæ negotiabantur ejecit. Quid ergo, quid faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos reperiret: qui hostias, quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare festinavit?

(a) Ulricus Gviseus in M. S. vetust. (b) S. Chrys. hom. 6. in Matth. (c) Cass. (d) S. Aug. in pf. 84. (e) S. Leo Pap. (f) Seneca. (g) S. Bern. (h) S. Hier. (i) S. Aug. (k) V. Beda in c. 2. Joan.

DOMINICA X.

POST PENTECOSTEN.

Pharisæi, & Publicani Oratio.

Mane.

PUNCTUM I.

DUO homines ascenderunt in templum, ut orarent. *Lucæ 18.* *Oraturus Deum ascende; non corporis passibus, sed mentis in Deum elevatæ affectibus.* *Oratio (a) est piæ mentis ad Deum conversio, fide, spe, & charitate subnixa.* *Quid (b) prodest strepitus labiorum,*
ubi

ubi cor est mutum ? Oratio cordis est , non labiorum. Neque verba deprecantis Deus intendit , sed orantis cor aspicit. *Quod si illico non exaudiris , vide , ne deficias (c) in oratione.* Deus quod concessurus est , & si differt , non auferit. Non levitate utitur , qui promisit ; nec facile de sententia movetur ; quod promisit , est fixum. Fallere non potest : habet unde faciat ; *modo tu pbarisaico supercilio non impediias.*

PUNCTUM II. Phariseus stans , hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi , quia non sum , sicut ceteri hominum. *Ibidem.* Quid rogaverit (d) Deum , quære in verbis ejus , nihil invenies. Ascendit orare , noluit Deum rogare , sed se laudare. Diceret saltem : non sum sicut multi homines. Quid est , sicut ceteri homines , nisi omnes homines præter ipsum ? ego justus sum , ceteri peccatores. Quid (e) sumus hodie , novimus : quid autem post paullum esse possumus , nescimus. Hi , quos fortasse despicimus , & tarde possunt incipere , & vitam nostram ferven-

tioribus studiis anteire. Timendum est, ne nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. Quamvis stare jam non novit, qui novit non stantem irridere.

PUNCTUM III. Velut etiam hic publicanus. *Ibidem. En quo superbia conjectit Phariseum!* Temere judicat, consumnit, convitio afficit, crimina exprobrat: quæ jam pœnitentis contritio deleverat. Superborum (f) mens, semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad laceffentes alios importuna. *Ita Phariseus*, dum (g) in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. Se solum decipit, quem solum excipit, dum ceteros damnat. Temerariis (h) judiciis plena sunt omnia. De quo desperaveramus, subito convertitur, & fit optimus; de quo multum præsumseramus, deficit, & fit pessimus; *Phariseus subito condemnatur, Publicanus subito justificatur.*

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Et Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad Cœlum le-

vare. *Ibidem.* Ut aspiceretur a Domino , respicere sursum non audebat. A procul (*i*) stans , non regessit contumeliam , neque convitum. Accepit probrum , & abluit probrum ; agnovit peccata , & depositum peccata ; criminum accusatio , facta est ei criminum remissio. O Pœnitentia ! (*k*) quid de te novi referam ? omnia ligata tu solvis , omnia clausa tu reseras , omnia adversa tu mitigas , omnia contrita tu sanas , omnia confusa tu lucidas , omnia desperata tu animas. Si itaque secutus es Publicanum peccantem , sequere pœnitentem. Quid tibi proderit reliquisse mundum , nisi pœnitentiam in Religione egeris ?

B. P. N.

PUNCTUM II. Deus propitius esto mihi peccatori. *Ibidem.* Sunt (*l*) multi , quos pœnitere pudet , peccare non pudet. O incredibilis insania ! de vulnere ipso non erubescis , & de ligatura vulneris erubescis ? nonne vulnus fœtidum , & putridum est ? Confuge ergo ad Medicum : age pœnitentiam : dic :

Iniuitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, Deus propitius esto mihi peccatori. *Memento tamen, quod inanis sit (m) pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat.* Facilius (n) ignoscitur his, qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incauteque labuntur; veniam vix habet, qui scienter peccat. *Lactan.*

(a) Hugo. (b) S. Isidor. (c) S. Augustin.
 (d) Idem (e) S. Gregor. L. 25. moral. (f) Idem.
 (g) S. Bern. (h) S. Augustin. (i) S. Chrysostom.
 (k) S. Cyprian. (l) S. Aug. (m) Ex Eodem. (n)
Lactant. Divin. Instit. L. 6. c. 13.

DOMINICA XI.

POST PENTECOSTEN.

Christus curat surdum, & mutum.

Mane.

P U N C T U M I.

ADducunt ei surdum, & mutum. *Marci 7. Surdi, & muti secundum corpus rari sunt; secundum animam innumeri.* Fili hominis (a) speculatorem dedi te domui Israel; si impio locutus non fueris, ut se ab impietate sua custodiat, &

& ille perierit ; sanguinem ejus , de manu tua requiram . Hoc est dicere : si ei peccata sua non annunciaveris , ut ab impietate sua convertatur , & vivat ; te qui non increpasti , & ipsum , qui te tacentे peccavit , flammis perennibus perdam . Quis tam saxeи pectoris , & tam ferreus erit , quem sententia ista non terreat ? Quis tam alienus a fide , qui isti sententiæ non credat ? Quis ad hæc non contremiscat ?

PUNCTUM II. Et apprehendens eum de turba seorsum . *Ibidem.* Quid (*b*) tibi præcipue vitandum existimes , quæris ? turbam . Nunquam illi te commiseris : nunquam a turba mores , quos extuli , refero . Aliquid ex eo , quod composui , turbatur : aliquid ex his , quæ fugavi , redit . Inimica est multorum conversatio . Aut aliquid nobis vitii ingredit , aut commodat , aut imprimit . Quæcunque anima fidelis ex Instituto nostro fructum plurimum percipere cupit , exhortationem illam Prophetæ sibi dici existimet . : audi filia & vide , & inclina aurem tuam , & obliviscere po-

pulum tuum , & domum Patris tui. *Con-*
ficit. P. I. c. 4.

PUNCTUM III. Et ait illi : Ephpheta ,
 quod est adaperire. *Ibidem.* Et loqui ,
 (c) & tacere perfectio est. Diu (d)
 considera , quid loquendum sit ? & ad-
 huc tacens provide , ne quid dixisse pœ-
 niteat. Sapiens , ut loquatur , multa
 prius considerat : quid ? cui ? quo loco ?
 quo tempore dicat ? *Ex adverso :* ita
 (e) peccat qui videt fratrem peccare , &
 tacet : sicut qui pœnitenti non indulget.
 Nam , qui dixit : si peccaverit , dimit-
 te ; præmisit : si peccaverit , increpa.
 Vitia (f) transmittit ad posteros , qui
 præsentibus culpis ignoscit. Odio (g)
 habeantur peccata , non homines. *Ca-*
ve culicem liquare , (h) & camelum deglu-
tire.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Et præcepit eis , ne cui
 dicerent. *Ibidem.* Qui (i) pro virtute ,
 quam agit , humanos favores desiderat ;
 rem magni meriti , vili pretio venalem
 portat. Laus sua justos cruciat , ini-
 quos exaltat. Justos dum cruciat , pur-
 gat ;

gat ; injustos dum lætificat , reprobos monstrat. Inanis (k) gloria dicit : age bonum , quod vales : ostende bonum cunctis quod agis : ut bonus a cunctis dicaris , ut sanctus & venerabilis ab hominibus prædiceris : ut Dei electus voceris. Insipiens ! (l) quid tibi prodest vanæ gloriæ memoria , si ubi es , torqueris : ubi non es , laudaris ? *Virtus Mater gloriæ est.* Time (m) sagittam ; leviter volat , cito interficit : hæc vana gloria est.

PUNCTUM II. Bene omnia fecit. *Ibidem.* *Pulchra laus , sed non tua.* Utinam partes muneric tui sic expleas , ut de te jure dici queat : bene omnia fecit. *Laus hæc , non (n) paratur sumtu , non labore , non sudore ; sufficit velle , & confecta sunt omnia.* Sufficit ad gloriam Dei retulisse omnia. Juxta mensuram intentionis , crescit meritum actionis. Si (o) vere laudabilis esse cupis , laudes hominum ne requiras. Quamvis alicui sit facile laudem non curare , dum negatur ; est tamen difficile , ea non de-

lectari , dum offertur. *Nemo laudis vires sentit , nisi qui illi bellum indixerit.*

(a) S. Prosp. (b) Sen. (c) Valerius. (d)
S. Hieron (e) Raban. (f) Séneca. (g) S. Leo.
(h) Ex S. Bernar. (i) S. Gregor. (k) S. August.
super psal 149. (l) Hugo. (m) S. Bern. (n) S.
Chrisost. homil. 24. in Ep. ad Hebr. (o) S. Hier.

DOMINICA XII.

POST PENTECOSTEN.

De Dilectione Dei , & Proximi.

Mane.

PUNCTUM I.

BEATI oculi , qui vident , quæ vos videtis. *Luc. 10. Videre J̄esum sola & vera Beatitudo est.* O quot (a) nunc dicunt : vellem ipsius formam aspicere , figuram , vestimenta ; ecce ! eum vides in Venerabili Eucharistia , ipsum tangis , ipsum manducas . Vides , non oculo corporis , sed fidei , & mentis. Viderunt JEsum oculo corporis Scribæ , Pharisei , Principes Sacerdotum , & innumeri alii ; sed quia oculo fidei eum videre noluerunt , non Beatitudinem , sed maledictionem consecuti sunt. *O ! quanta re-*

ve-

verentia , quo gaudio , quali pietate excipereſ ſEſum , ſi eum humana ſpecie ad te venientem cerneret ? idem fac ſub ſpecie pa- niſ ad te accedenti .

PUNCTUM II. Magister , quid facien- do vitam æternam poſſidebo ? *Ibidem.* Magiſtrum vocat , cuius non vult eſſe diſci- pulus . Vis fieri diſcipulus Chriſti ? ab (b) omnibus libenter diſce . Sapientior , & ſanctior omnibus eris , ſi ab omnibus diſcere volueris . Qui ab omnibus acci- piunt , omnibus diſtiores ſunt . Ubique (c) profeſtum tuum capias : ut ſi bona exempla videas , vel audias , ad imi- tandum accendaris ; ſi quid reprehensi- bile conſideraveris , cave , ne id facias . Quid (d) ſtultius , quam , quia diu be- ne vivere non didiceris , non diſcere ? Omnis ætatis homines hæc ſchola ad- mittit . Tam diu diſcendum eſt , quam- diu recte vivere neſcias .

PUNCTUM III. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . *Ibidem.* Cum (e) dicit : toto corde , tota anima , to- ta mente , nullam vitæ noſtræ partem relinquit , quæ vacare debeat , & locum da-

dare , ut alia re frui velit. Felix (*f*) conscientia illa , in cuius corde , præter amorem Dei nullus aliis versatur amor. Verus (*g*) amor est , si propter Deum amatur , quod amatur. Per Dei (*b*) amorem , amor proximi gignitur : & per amorem proximi , amor Dei nutritur. Qui amare proximum neglit , profecto Deum diligere nescit. Inaudita (*i*) est dilectio : quæ amicum diligit ; & ejus præsentiam non amat. *Cass.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Homo quidam incidit in Latrones. *Ibidem.* *Anima in tot , tamque crudeles latrones incidit ; quot , & quales committit iniquitates.* Peccata animam spoliant gratia , auxilio , & merito. Ut corpus (*k*) sine anima , sic anima sine Dei gratia mortua est. Vel (*l*) mortem time , si peccatum non times. Peccatum cum consummatum fuerit , generat mortem. Nondum times peccatum ? time , quo perducit peccatum. Dulce est peccatum ? sed amara est mors. Ista est infelicitas hominum : propter quod peccant , hic dimittunt morientes , & ipsum

sum peccatum secum portant. Peccas propter pecuniam? villam? &c. hic dimittenda sunt, quando oculos in morte clauseris; & ipsum peccatum tecum portas, ut te comburat in omnem aeternitatem.

PUNCTUM II. Qui etiam spoliaverunt eum, & abierunt semivivo relicto. Ibidem. *Peccata venialia, dum plagas animae imponunt, eam semivivam relinquunt.* Noli (*m*) contemnere venialia, quia minuta sunt, sed time, quia plura. Plerumque bestiae minutae, multae necant. Numquid minutissima sunt grana arenae? sed, si arenae amplius in navi mittatur, mergit eam, ut pereat. Quam minutae guttae pluviae: nonne flumina implent, & domos dejiciunt? timenda ergo est ruina multitudinis, & si non magnitudinis. Sacerdotes si quotidie celebrabunt, quotidie confiteantur; ne religiosi, qui viam Domini aggressi sunt, per contemptum levium culparum, in graviores prolabantur. *Const. P. I. c. 7.*

- (a) S. Chrysost. homil. 60. ad pop. Antioch.
- (b) Hugo. (c) Thom. a Kemp. (d) Seneca. (e)
- S. Augustin. (f) S. Hieronym. (g) Raban. (h)
- S.

S. Greg. (i) Cass. (k) Ex S. August. (l) Idem
homil. 42. inter 50. (m) Idem de decem Chord.

DOMINICA XIII.

POST PENTECOSTEN.

Sanantur decem Leprosi.

Mane.

PUNCTUM I.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. *Luc. 17. Lepra morbus contagiosus est.* Non (a) valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Ante (b) ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolvens: proximus periculo, diu tutus non erit. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit; sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit. Bonus (c) socius, omnibus est officiosus, nulli onerosus: quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum. Melius (d) est habere malorum odium, quam conformatum.

Væ illi, qui inter bonos malus
est. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Et levaverunt vocem dicentes: JESU PRÆCEPTOR miserere nostri. *Ibidem.* Hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum Justum 1. Joan. 2. Fateor: (*e*) peccavi peccatum grande, & multorum delictorum sum mihi conscius; nec sic despero. Quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui, de peccatorum venia desperat, negat Deo suam misericordiam. Magnam autem injuriam facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem, potestatem: in quibus tota spes mea consistit. Scilicet, in charitate adoptionis: in veritate promissionis: in potestate redemtionis. *JESU PRÆCEPTOR, miserere mei!*

PUNCTUM III. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus. *Ibidem.* PRÆCEPIT (*f*) DOMINUS mundandis, ut ostend-

ostenderent se sacerdotibus , docens confiten-
da esse peccata Sacerdotibus. Nam , (g)
quando homo detegit , Deus tegit ; cum
homo celat , Deus nudat ; cum homo
agnoscit , Deus ignoscit ; fit veniale per
confessionem , quod erat criminale per
operationem. O beata (b) Confessio !
quæ æternum tollit opprobrium. O mi-
ra compensatio ! o stupenda vicissitudo !
Domino suo propria mala dicere , &
ab eodem præmia salutis accipere.
Quis non invitetur ob præmium con-
fiteri , cui non possis celare , quod fe-
ceris ?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et factum est , dum
irent , mundati sunt. *Ibidem. Hic est ,*
fructus perfectæ obedientiæ. In ipsa (i)
obedientiæ via , tibi fortasse aliqua du-
ra , & aspera occurrere possunt : ut ac-
cipias interdum præcepta nonnulla , quæ
licet salubria sint , minus tamen suavia
videantur. Hoc si moleste ceperis su-
stинere , si dijudicare Prælatum , si mur-
murare in corde ; etiam si exterius im-
pleas , quod jubetur ; non est virtus pa-
tien-

tientiae, sed velamen malitiæ. *Bonus obediens*, (k) dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere : *Paratum cor meum Deus ! paratum ad nutum obedire, Deo vacare, proximis ministrare.* Non est obediens, qui obediendo proprium sequitur judicium. *Beat. P. N.*

PUNCTUM II. Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt ? *Ibidem.* Deus (l) a nobis exigit gratitudinem : non quod nostra celebratione opus habeat ; sed, ut quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, & ut nos dignos faciamus majoribus subsidiis. *Omnis (m) profectus, ad Divinitatis est munera referendus : quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso cognoscitur collatum.* *Deus meus, & omnia ! Omnia (n) quæ in anima habeo & corpore, tua sunt beneficia, & te beneficum, pium, ac bonum commendant.* Omnia ex te : & ideo in omnibus es laudandus.

(a) S. Gregor. (b) S. Isid. soliloq. L. 2. (c)
Hugo. (d) S. Isidor. (e) S. August. in Enchir. c.

23. (f) Ex Eodem. (g) Idem. (h) Cass. (i) S. Bernar. Serm. 22. (k) Ex Eodem. (l) S. Chrysost. homil. 72. ad pop. Antioch. (m) Cass. (n) Thom. a Kemp.

DOMINICA XIV.

POST PENTECOSTEN.

Duobus Dominis servire impossibile.

Mane.

PUNCTUM I.

NEmo potest duobus Dominis servi-
re. *Matth. 6.* Deo (a) amicum
se denegat, qui ejus placet inimico. Ne-
mo potest, in una eademque re omni-
potenti Deo servire, atque ejus hosti-
bus gratus existere. Si Deo servire re-
nuiis, tot *Dominorum*, immo *Tyrannorum*
mancipium es, quot vitiorum. O extre-
ma conditio servitutis! Natura liberos ge-
nuit; sed *prava consuetudo* servos constituit.
Heu! quam miseram servitutem servit,
(b) quicunque vel metu frangitur, vel
delectatione irretitur, vel cupiditati-
bus ducitur, vel indignatione exaspera-
tur, vel mero re dejicitur. Servilis om-
nis passio est. O crudelis (c) servitus
pas-

passionum : quarum dominatio nec nocte ,
nec die fugari potest !

PUNCTUM II. Aut enim unum odio habebit , & alterum diligit . *Ibidem* . Mundus (*d*) amor , & Dei , in uno corde habitare non possunt : quemadmodum oculi Cœlum & terram nequaquam conspi ciunt . Mundus (*e*) clamat : ego deficiam . Caro clamat : ego inficiam . Diabolus clamat : ego decipiam . Et tamen cœca , & misera mens , magis amat deficientem , inefficientem , & decipientem ; quam Christum reficientem , & semper permanentem . Si dulcis est mundus , dulcior est Christus . Mundus (*f*) transit , & concupiscentia ejus . Quid vis ? utrum amare temporalia , & transire cum tempore ? an Christum amare , & in æternum vivere ? utrumque conjungere impossibile .

PUNCTUM III. Non potestis Deo servire & mammonæ . *Ibidem* . Qui (*g*) vitium cupiditatis , quod erga species pretiosas exercere non possunt , circa vi liores res retinent ; non abscidisse , sed immutasse se probant pristinam passio-

nem: *adhuc mammonæ famulantur.* Quid differt: utrum quis possidendi cupiditatem, erga opes amplas, an erga viliores res exerceat? nisi, quod in eo reprehensibilior judicandus est: quod, qui maxima sprevit, in minimis oblectetur? Nihil proderit maiores opes contemisse, qui affectus earum, in res parvas, atque exiguae transtulerunt.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quidnam manducabitis. *Ibidem.* Nequaquam (*b*) ulterioris diei te cura conterat. Cujus diei spatium te visurum nescis; quam obcaussam illius solitudine torqueris? semper (*i*) dives est Christiana paupertas: nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino, omnia possidere. *Qui fieri potest, ut necessiarum rerum penuriam sentiat, qui relictis omnibus, Domino fœneratur?* O beata (*k*) paupertas nihil in hoc seculo possidens, nihil formidans! quæ, cum omnem thesaurum suum recondat in Cælo, semper hilaris,

sem-

semper abundans est : quæ , cum nihil habeat , omnia sibi facit communia.

PUNCTUM II. Quærите ergo primum regnum Dei , & justitiam ejus , & hæc omnia adjicientur vobis. *Ibidem.* Cum (*l*) viderimus servum Dei procurare necessaria , non putemus agere contra Domini præceptum : nam & Dominus , propter exemplum loculos habuit ; & in Apostolorum actis legimus : procura ta necessaria in futurum , ob imminen tem famem. Non prohibemur ergo procurare ; sed ob ista militare. *Quære Dei gloriam , sectare justitiam : hæc omnia adjicientur tibi.* Si diffidis ; & alios fallis , & tu ipse falleris. Tu (*m*) Christiano , tu Dei servo , tu bonis operibus dedito , tu Domino suo charo , ali quid existimas defuturum ? an putas , qui Christum pascit , a Christo non pa scetur ? an putas , terrena deerunt , qui bus cœlestia abundant ?

(*a*) S. Ambr. super Ezech. (*b*) Idem. (*c*) S. Hieron. (*d*) S. Cyprian. de duodecim abusion. (*e*) S. Bernar. (*f*) S. August. super Epist S. Joan. (*g*) Cass. (*h*) S. Chrysostom. super Matth. (*i*) S. Leo Serm. 4. de Quadr. (*k*) S. Laurent. Justinian.

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

Suscitatur filius unicus Matris suæ.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ. *Luc. 7.* Quid (*a*) in rebus humanis certius morte ? quid incertius hora mortis ? Non miseretur inopiæ , non reveretur divitias , non parcit sapientiæ , non moribus , non ætati. Nisi , quod senibus mors est in januis ; juvenibus in insidiis. Incertum est , (*b*) quo loco te mors expectet ; tu illam omni loco expecta. Quotidie morimur , quotidie demitur pars aliqua vitæ ; & tunc quoque dum crescimus , vita decrescit. Hunc ipsum , quem agimus diem , cum morte dividimus.

PUNCTUM II. Et hæc vidua erat , & turba Civitatis multa cum illa. *Ibidem.* Omnis consummationis vidi finem. *psal.*

118. Accelera (*c*) ut hoc totum, quod nobis videtur, quamdiu volvitur seculum, intelligas punctum esse. Non est diu, quod habet extremum. Si adhuc viveret Adam, & hodie moreretur, quid ei prodeisset tam diu vixisse? Vita hæc (*d*) est vita dubia, vita cœca, vita ærumnosa: quam dolores extenuant, escæ inflant, joci dissolvunt, tristitia consumunt, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, & post hæc omnia mors interimit, & universis gaudiis finem imponit ita, ut cum esse desierit, nec fuisse putetur.

PUNCTUM III. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam dixit illi: noli flere. *Ibidem.* Felices lacrymæ, (*e*) quas benignæ manus Conditoris abstergunt. *Flere eum prohibet, cui debetur resurrectio, & qui debitum mortalitatis persolverit.* Cave inordinatam, & immoderatam tristitiam. Absque (*f*) illa tristitia, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur æternorum; omnis tristitia tanquam seculi, & quæ mor-

tem adferat , repellenda est. Nullam unquam jacturam rerum temporalium tristitia reparavit. Tristitiam repelle a te : multos occidit tristitia , & non est utilitas in illa. *Eccles. 30.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et ait : adolescens tibi dico , surge. *Ibidem.* *Dum vales , dum vires suppetunt , surge per pœnitentiam ; ne mortuus efferaris per diuturnam malitiam.* Tene (g) certum , age pœnitentiam , dum sanus es. Si sic agis , dico tibi : quia securus es. Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis , voluerit accipere pœnitentiam , & accipit , & mox reconciliatur , & hinc vadit : fateor , non illi negamus , quod petit ; sed non præsumimus , quod bene hinc exit. Pœnitentiam dare possumus ; securitatem autem non. Non quidem dico , damnabitur ; sed nec dico , liberabitur. *S. August.*

PUNCTUM II. Accepit autem omnes timor. *Ibidem.* Timor (b) præsens securitatem generat sempiternam. Time Deum , qui super omnes est. Timere Deum

Deum (*i*) est , nulla quæ facienda sunt bona , præterire. Si adhuc a prava actione formidata pœna prohibet , profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet : Nam , si pœnam non metueret , culpam dubio procul perpetraret. Qui ex timore bona agit , a malo penitus non recessit : quia eo ipso peccat , quod peccare vellet , si inulte posset. Qui (*k*) Deum bene timet , & amat. *Timor sine amore Dei , tormentum animæ est , non peccati effugium.* Amani & timenti Dominum bene erit in extremis , & in die obitus sui benedicetur. *Eccl. I.*

(*a*) S. Bern. (*b*) Sen. (*c*) S. Aug. in ps. 30.
 (*d*) Idem super illo : quæ enim est vita vestra. (*e*)
 S. Bern. (*f*) Cass. L. 9. Instit. c. 12. (*g*) S. Aug.
 Serm. 36. (*h*) Idem. (*i*) S. Gregor. (*k*) Cass.

DOMINICA XVI.

POST PENTECOSTEN.

Hydropicum persanat Christus.

Mane.

PUNCTUM I.

CUM intraret JESUS in domum Princi-
pis
Q 5

pis Pharisaorum Sabbato manducare panem , & ipsi observabant eum. *Lucæ 14.* Christi actiones observabant Pharisæi ; tuas observant omnis status , ætatis , & conditionis homines : observant Angeli boni & mali : observat Deus ipse. O si quam bene agetur cum anima , & vita nostra , si (*a*) cogitaverimus Deum ubique præsentem esse , audire omnia , videre etiam quæ in corde sunt. Dic mihi : si tibi semper proxime Principem standum esset , nonne cum timore adstares ? quando comedis , cogita præsentem esse Deum , adest enim. Quando dormiturus es , quando irasceris , quando deliciaris , & quidquid tandem facis , cogita adesse Deum ; & nunquam in risum incides , nunquam ad iram accenderis . &c.

PUNCTUM II. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. *Ibidem.* Hydrops nostra inexplebilis cupiditas est. Quis (*b*) unquam primo voto fuit contentus ? quem adipiscitur , quod optaverat , desiderat ampliora. Semper in habendis , & nunquam in habitis finem constituit.

Quis

Quis (*c*) talem non misereatur ? quis non infelicitatem ejus doleat ? angustiatur ex abundatia ; constringitur ex opulentia ; infelix in præsentibus bonis, infelior in futuris. Tria (*d*) maxime solent homines affectare : opes , voluptates , honores. De opibus prava ; de voluptatibus turpia ; de honoribus vana procedunt.

PUNCTUM III. Si licet Sabbato curare ? at illi tacuerunt. *Ibidem.* Religa (*e*) linguam tuam , si vis esse religiosus. Sciunt homines spirituales , qui hoc experti sunt , quantum adferat dissolutio- nis frequens linguæ resolutio. Sicut fornax , cuius os semper apertum est , non potest in se retinere fervorem : sic nec cor devotionis gratiam potest in se conservare , cuius os non fuerit janua silentii reclusum. Claudamus os nostrum : ut cum devotionis fervore , Christum devotionis largitorem , in ferventi affe- ctu possimus conservare. O ! quam bonum , & jucundum est tecum , o dulcissime JEsu habitare in unum ! tecum colloqui ! tibi revelare caussam animæ no- stræ !

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Cum invitatus fueris ad nuptias , non discumbas in primo loco. *Ibidem.* Non locus hominem , sed homo locum condecorat. Quicunque (f) vult fratrem prævenire regnando , prius eum præveniat obsequendo , sicut ait Apostolus : Honore invicem prævenientes. Vincat eum officiis , ut possit vincere sanctitate. Si te non læsit frater , obsequium meretur , ut diligas. Quid , si fortasse læsit ? obsequium meretur , ut vincas. Hæc Christianitatis summa est : ut amantibus vicissitudinem ; lædentibus patientiam rependamus. Sæpe (g) fletit humilitas ; quod nec virtus potuit superare , nec ratio.

PUNCTUM II. Omnis , qui se exaltat humiliabitur. *Ibidem.* Altus (h) est Deus : humilias te ? descendit ad te ; erigis te ? fugit a te. Quare ? quoniam excelsus est , & humilia de proximo respicit : ut attollat , ut bonis repleat. Alta , id est superba de longe cognoscit : ut deprimat. Sed (i) est , qui nequiter se humiliat , & interiora ejus plena

na sunt dolì. Non est humilitas , nisi sine fuco , sine fraude. Ipsa est una , quæ habet piam mentis sinceritatem. Appetere (k) de humilitate laudem humilitatis ; non est virtus , sed subversio. Quid perversius : ut inde videri velis melior , unde videris deterior ?

(a) S. Chrysoft. (b) S. Innocent. Papa. (c)
S. Basil. (d) S. Gregor. (e) S. Bernar. (f) S.
Ambr. (g) Idem. (h) S. Augustin. (i) S. Ambr.
(k) S. Bern. Serm. 16. in Cant.

DOMINICA XVII.

POST PENTECOSTEN.

*Quodnam sit maximum Legis Mo-
saicæ Mandatum.*

Mane.

PUNCTUM I.

MAgister , quod est mandatum magnum in lege ? *Matth. 22.* Si (a) solis contenti estis præceptis , & traditionibus impositæ legis , & non sponte etiam perfectionis vos consiliis , & suasionibus mancipatis ; liberi quidem estis a debito , non tamen pro merito glo-

rio-

riosi ; evasistis pœnam , sed non aquisi-
vistis coronam. Altior (b) professio
virtutis , altiorem debet tenere viam vi-
vendi. Tu (c) qui te perfectum fore
pollicitus es , cur aliud quam perfectam
sextaris viam ? perfectus servus Christi ,
nihil præter Christum habet ; aut si quid
præter Christum habet , perfectus non
est. Nemo (d) perfectus est , qui per-
fectior esse non appetit.

PUNCTUM II. Ait illi JESUS : Diliges
Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo. *Ibidem.* Qui (e) Deum ex toto
corde , ex tota anima , ex tota virtute
diligit , locum vitiis non relinquit. Ho-
mo (f) tanto Dei amore flagrare de-
bet : ut nihil prorsus in ullam animæ fa-
cultatem irrepere sinat , quod suam er-
ga Deum dilectionem excludat , aut di-
minuat , aut alio transferat ; sed in om-
nibus illi soli magis , magisque assidue
placere satagat. Deum toto (g) corde
diligere est : omne quod blanditur , de
carne propria , Sacro Sanctæ Carnis
Christi amori postponere. Prior Deus
di-

dilexit nos, tantus, tantum, & gratis :
tantillos, & tales !

PUNCTUM III. Hoc est maximum, &
primum mandatum. *Ibidem.* *Amare
Deum, primum, & maximum mandatum
dicitur :* dignitate, utilitate, necessitate.
Vere (*b*) magnus est, qui magnam cha-
ritatem habet. *Ecce dignitatem. Cha-
ritas (i) Dei mentem hominis illuminat,
conscientiam mundat, animam lætificat,
Deum demonstrat. En utilitatem. Qui
non diligit, manet in morte. En necessi-
tatem. O amor, (*k*) qui semper uris,
& nunquam te pescis, accende me ! &
accendar. Accendar, ut totus te di-
ligam.*

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Diliges proximum tuum
sicut te ipsum. *Ibidem.* *Qui sibi nequam,
cui bonus ? Non est (l) hic tui dilectio
prætermissa. Si vis diligere proximum si-
cuit te ipsum ; prius debes diligendo Deum,
diligere te ipsum. Si quis dixerit, diligo
Deum, & fratrem suum odit, mendax
est. Qui enim non diligit fratrem suum,
quem videt ; Deum quem non videt,*
quo-

quomodo diligere potest ? 1. *Ioan.* 4.
Tota (*m*) proximi hæc est dilectio : ut
bonum, quod tibi conferri vis, velis &
proximo ; & malum, quod tibi nolis ac-
cidere, nolis & proximo. Et (*n*) quod
ab alio oderis tibi fieri ; vide, ne tu ali-
quando alteri facias.

PUNCTUM II. In his duobus mandatis
universa lex pendet. *Ibidem.* Lex Dei
(*o*) Charitas est. Lex data est, ut gra-
tia quæreretur ; gratia data est, ut lex
impleretur. Nihil (*p*) arduum amanti-
bus, nihil asperum diligentibus : facile
præcepta omnia veniunt in effectum,
quando & gratia præcedit auxilium, &
obedientia mollit imperium. Nec dura-
ibi necessitate servitur, ubi diligitur,
quod jubetur. Plenitudo legis dilectio
est. Vere (*q*) diligit, qui sine tristi-
tia, sine timore, voluntario potius stu-
dio, quam coacto præcepta custodit.

(*a*) S. Bernar. (*b*) Glossa. (*c*) S. August.
(*d*) S. Bernard. (*e*) Cass. (*f*) Victor Antioch.
(*g*) S. Bernar. (*h*) Thom. a Kemp. (*i*) Hugo.
(*k*) S. Augustin. (*l*) Idem. (*m*) S. Prosper. (*n*)
S. Augustin. (*o*) Idem, (*p*) S. Leo Papa. (*q*) S.
Ambr̄es.

Do-

DOMINICA XVIII.

POST PENTECOSTEN.

Paralysim curat Christus.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce offerebant ei paralyticum jacente in lecto. *Matth. 9.* *Sicut dissolutio nervorum totum corpus ad motum ineptum reddit: ita dissolutio regularis disciplinæ, animam ad omne opus bonum inertem efficit.* *Pernicious bic animi (a) languor est: quum legere non libet, orare non delectat, meditationes solicite non sentiuntur.* *Dissolutæ disciplinæ homini, torpor (b) & ignavia assidue dicunt: si lectio continuato studio semper institutris, oculorum caliginem incurris: si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis: si psalmorum censum persolvis, insaniam capit is aquiris: si litterario labore te conficis, ad opus spirituale quando consurges?* *His motus indisciplinati hominis animus, alia inchoare negligit, alia prosequi dedignatur, alia perficere fastidit.*

R

Ita

Ita Religiosum otiosum dæmon
venatur, & capit. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Et videns JESUS fidem
illorum, dixit Paralytico: Confide fili,
remittuntur tibi peccata tua. *Ibidem.*
Prius tollit caussam ægritudinis; deinde ipsam ægritudinem. Sæpe (*c*) morbi velut
quædam peccatorum flagella sunt: qui-
bus nil aliud agitur, nisi ut vitam no-
stram in melius commutemus. Quos-
dam autem (*d*) præsciens Deus multe
peccare posse, flagellat infirmitate cor-
poris, ne peccent: ut eis utilius sit
frangi languoribus ad salutem, quam re-
manere incolumes ad damnationem. Qui
(*e*) veram ostendit corporis infirmita-
tem, humane tractandus est; qui au-
tem falsam prætendit, & convinci non
poteat; Deo dimittendus est. *S. Aug.*

PUNCTUM III. Et ecce quidam de
Scribis dixerunt intra se: hic blasphe-
mat. *Ibidem.* *Ipse Christus temerario judi-
cio laceffitus est, quomodo tu effugies?* Ab
ipsis (*f*) judicibus vitium hoc nascitur;
non a rebus, quæ judicantur. Ut sol-
nul-

nullam radiis suis utilitatem illis adfert, qui oculorum infirmitate laborant, sed damnum potius, & pœnam: ita manifesta quoque veritas, nullum perversæ animæ commodum, sed judicanti temere peccatum parit. Judicet (*g*) ille de alterius errore, qui non habet in se ipso, quod condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio punienda judicat: ne, cum de alio judicat, in se ipsum sententiam ferat.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Ibidem.* *Letuli paralyticorum, sunt pravæ consuetudines vitiorum.* Omne peccatum (*b*) consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum. Si jam obduruit, dolorem perdidit, & valde putre est, nec dolet. Quod non dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum. Quando aliquid pungitur, & dolet; aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando pungitur, nec dolet; pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum est. Præscindatur (*i*) fer-

ro acutæ compunctionis, ulcus inven-
ratæ confuetudinis. Si est acerbus do-
lor, leniatur unguento devotionis. Uſus
facit virtutes; non natura.

PUNCTUM II. Et surrexit, & abiit in
domum suam. *Ibidem.* Cadere (*k*) in cul-
pam, jacere in peccatis, humanæ naturæ
est; resurgere, & dolere virtutis. Ni-
hil (*l*) peccare, solius Dei est; emen-
dare, & pœnitentiam agere de peccato,
sapientis est. Quis (*m*) in seculo pec-
cavit enormius Paulo? quis in Religio-
ne gravius Petro? illi tamen per pœni-
tentiam meruerunt assequi, non solum
ministerium, sed etiam magisterium San-
ctitatis. Non est (*n*) grave cadere lu-
ctantem; sed jacere dejectum. Non
est perniciosum in prælio vulnerari; sed
post vulnus acceptum, desperatione cu-
randi, medelam vulneri denegare.

(a) S. Bernar. (b) S. Augustin. (c) S. Basil.
reg. 55. (d) Hugo L. 2. de anima. (e) S. August.
de opere Monach. (f) S. Chrysost. (g) S. Ambr.
super illud: Beati immacul. (h) S. Augustin. (i)
S. Bern. (k) Ex S. Ambr. (l) Idem. (m) S.
Petr. Chrysol. (n) S. Chrysost.

DOMINICA XIX.

POST PENTECOSTEN.

Nuptiae Filii Regis.

Mane.

PUNCTUM I.

Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi , qui fecit nuptias filio suo. *Matth. 22.* Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Apoc. 19.* Talis (*a*) erit ibi delectatio , ut semper tibi præsens sit , & tu nunquam satieris. Immo ut semper satieris , & nunquam satieris. Si dixero , quod non satiaberis , fames erit ; si dixero , quod satiaberis , fastidium times : ubi nec fastidium erit , nec fames. (*b*) Hereditas Christi , non minuitur copia possessorum , nec fit angustior numerositate coheredum. Tanta est multis , quanta paucis. Ibi (*c*) festivitas sine fine , æternitas sine labe , serenitas sine nube. Ibi Deus ipse erit & vita , & salus , & viætus , & copia , & gloria , & honor , & pax , & omnia bona.

PUNCTUM II. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. *Ibidem.* Tanto (*d*) dono , tanto honore , tanta benignitate cum nos dignatus sit Deus; ne tantam gratiam inanem reddamus , vitam Angelicam, Angelicam oro, ac suppli- co virtutem, & conversationem ostenda- mus. Nemo (*e*) illuc veniet, nisi tractus. Quare illum trahat , & hunc non tra- hat ? noli velle judicare , si non vis er- rare. Semel accipe , & intellige. Non- dum traheris ? ora, ut traharis. Tene quod habes , ne aliis accipiat coronam tuam. Quæ (*f*) Sancti viri orando ef- ficiunt , ita prædestinata sunt, ut preci- bus obtineant.

PUNCTUM III. Illi autem neglexerunt. *Ibidem.* Turpissima (*g*) est jactura, quæ per negligentiam fit. Si negligentia ani- mam (*b*) incuria spiritus dormitantem pervaaserit: subit quidam animi rigor , & vigor lentescit ; languor fingitur virium , & horror austерitatis intenditur. Ti- mor sollicitat paupertatis , subtrahitur gratia , defervescit fervor , ingravescit fastidiosus tepor , frigescit fraterna cha-

ritas , blanditur voluptas , fallit securitas , revocat consuetudo : fit demum lamentabilis casus de Cœlo in cœnum , de Paradiso in infernum . Religiosus negligens lætitia dæmonis est .

B. P. N.

Die eadem Vesperi .

PUNCTUM I. Nuptiæ quidem paratae sunt , sed qui invitati erant , non fuerunt digni . *Ibidem* . *Indigni sunt Cœlestibus Agni nuptiis* , qui (i) boni videri , non esse : mali non videri , sed esse volunt . Qui cupiunt patientes esse sine tribulatione , obedientes sine coarctatione , pœnitentes sine afflictione , virtuosi sine labore : abstinentiam præseferre , & paſci delicate ; bene vestiri , sed sine solicitudine ; laudari , sed sine virtute ; amari , sed sine bonitate ; honorari , sed sine sanctitate . Nullum (k) crede , ad salutem nisi Deo invitante venire ; nullum invitatum ad salutem , nisi Deo auxiliante operari ; nullum nisi orantem auxilium promereri . *S. Augustin.*

PUNCTUM II. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Ibidem.* Heu tonitru! heu fulmen! sive comedam, sive bibam, sive aliud quid faciam; semper vox hæc videtur sonare in auribus meis: Multi sunt vocati, pauci vero electi: Ex Pentapolitano incendio, quatuor tantum animæ ereptæ sunt; ex universali diluvio, Noe solum cum septem servatus; ex sexcentis milibus hebreorum, duo tantum terram Promissionis ingressi; ex centenis (*l*) Christianorum millibus, vix centum salvare putat Chrysostomus. Si (*m*) unus tantum homo damnandus esset, ceteri vero omnes salvandi; nonne totis viribus adniti deberes, ne tu ille unus sis omnium mortalium infelicissimus?

(*a*) S. Augustin. (*b*) S. Ambros. (*c*) S. Augustin. (*d*) S. Chrysost. (*e*) S. August. (*f*) S. Gregor. L. I. Dialog. (*g*) Seneca. (*h*) S. Bernardus. (*i*) Idem. (*k*) S. Augustin. (*l*) S. Chrysostom. homil. 40. ad Pop. Antioch. (*m*) Ex S. Francisc. Seraph.

DOMINICA XX.

POST PENTECOSTEN.

Sanatur filius Reguli.

Mane.

PUNCTUM I.

ERAT quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. *Ioan.* 4. Infirmitas (a) corporis, sobrietas mentis, & virtutum officina est: comes injucunda, sed fidelis; magistra modestiae, hortatrix parsimoniae. Imbecillitas carnis, (b) mentis vigorem exacuit, & affectis artibus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum: ut mihi genus quoddam sanitatis videatur, hominem interdum non esse sanum. Si repugnante corpore, quae volumus facere non possumus; infirmandum carne est, ut optata faciamus. Tam (c) veneranda est viva Crux Christi, quae est morbus: quam mortua; puta, picta, aut ficta.

PUNCTUM II. Incipiebat enim mori. *Ibidem.* Tres (d) sunt nuntii mortis; Casus, infirmitas, & senectus. Casus

dubia , infirmitas gravia , senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem , infirmitas apparentem , senectus præsentem. Non nocet (*e*) bonis , si subita morte rapiantur. Non enim subito moriuntur , qui semper se cogitaverunt morituros. Quacunque hora justus moriatur , justitia ejus non auferetur ab eo. Illi (*f*) deplorandi sunt in morte , quos miseros infernus ex hac vita recipit ; non quos cœlestis aula includit.

PUNCTUM III. Dicit ei JESUS : vade , filius tuus vivit. *Ibidem*. Via (*g*) est vita præsens , qua ad Patriam tendimus. Idcirco hic frequenti perturbatione conterimur , ne viam pro Patria diligamus. Longam (*b*) Cœnam malam nemo vult habere ; longam vitam malam pene omnes volunt. Quid vis malum ? dic mihi : puto nihil in omnibus actionibus , cogitationibus , cupiditatibus. Terram malam non vis , bonam arborem vis , amicum bonum , &c. ipsam vestem malam non vis habere : aut da mihi aliquid te velle , quod malum

lum est ? solam animam & vitam vis habere malam. Quid te offendisti ? non vis esse malum , nisi te solum ? quid de te ipse meruisti ?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Interrogabat horam ab eis. *Ibidem.* *Horæ cedunt diebus , dies mensibus , menses annis.* Fallax (*i*) in temporalibus bonis suavitas , labor , & perpetuus timor , & periculosa jucunditas : initium sine providentia & finis cum pœnitentia. Inter temporalia , & æterna hoc interest : quod temporale plus diligitur ante , quam habeatur , vi lescit autem , cum advenerit ; æternum , ardenter diligitur adeptum , quam desideratum. *Dum (k) differtur vita , transcurrit.* *Quidam tunc incipiunt vivere , quum desinendum est.* *Vive Deo (l) paullulum , qui vixisti seculo totum.* *Dic Deo tuo : de mea (m) misera vita , sume , obsecro , residuum annorum meorum : pro his vero , quos male vivendo perdidi , cor contritum , & humiliatum ne despicias !*

PUNCTUM II. Hora septima reliquit eum febris. *Ibidem.* Non minorem (*n*) febrem

febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, febris nostra luxuria est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant. Sed ubi quis resipuerit a furore, tunc conscientiae interioris aperitur visus, factaque pœnitentia succedit. Tunc Deus timetur, & peccator se vult celare; sed non potest. O opus (o) detestabile, & dignum confusione, quod inchoatur in auro, & finitur in testa! O confusibiles operarios, qui initio conversionis suæ, opus suum inchoant ex auro, & consummant in luto!

(a) S. Ambr. (b) Salvian. (c) Nazian. (d) Hugo.
 (e) S. Ansel. (f) S. Isidor. (g) S. Greg. (h) S. Aug.
 (i) Idem. (k) ex Sen. (l) ex S. Greg. (m) S. Bern.
 (n) S. Ambr. (o) Richard.

DOMINICA XXI.

POST PENTECOSTEN.

*Parabola Regis ponentis rationem
cum servis suis.*

Mane.

PUNCTUM I.

Assimilatum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere

ponere cum servis suis. *Matth. 18.* Pec-
cata (*a*) sive parva , sive magna impu-
nita esse non possunt. Aut homine pœ-
nitente, aut Deo in judicio puniente ex-
piantur. Cessat vindicta Divina, si con-
versio præcedat humana. Amat DEUS
confitentibus parcere. Amat eos , qui
semetipos judicant, non judicare. Per
flagella hujus vitæ judicii Divini severi-
tatem disce. Si ita districte modo per-
cutit, quando parcit: quomodo percussu-
rus est, quando puniens judicabit? Ante
(*b*) judicium interroga te ipsum, & in
conspectu Dei invenies propitiationem.

PUNCTUM II. Oblatus est ei unus, qui
debebat ei decem millia talenta. *Ibidem.*
Deputemus (*c*) intelligentiam datam ,
quasi pecuniam mutuam. Quo plus no-
bis creditur ex benignitate , eo debito-
res amplius tenemur ex opere. Accer-
feris (*d*) a sepulchro, rursus indues ani-
mam: ut coram Deo in judicio stes,
operum tuorum omnium rationem reddi-
tur. Hæc consideratio afflue verse-
tur ob oculos: nempe, quo pacto te
Deus elegerit ab æterno , quasi quam
plu-

plurium actionum instrumentum: ut tuis potentibus, sensibus, ac membris bene placitum ejus, in multis bonis operibus ad impleas. Tu vero, tamquam refractarium instrumentum, tanto beneficiorum ponderi non cedis, immo resistis?

PUNCTUM III. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum. *Ibidem.* Quid (*e*) misericordius intelligi valet, quam quod peccatori æternis tormentis damnato, & non habenti unde se redimat, Deus Pater dicit: Accipe Unigenitum meum, & da pro te? Tua malitia mensuram habet; Dei misericordia mensuram non habet. Procide ad genua misericordis Domini, agnosce culpam, veniam deprecare. Securum habes accessum ad Deum misericordem: ubi Mater Misericordiae ante Filium, Filius ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus, & ubera: Filius ostendit Patri latus, & vulnera.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffo-

suffocabat eum. *Ibidem.* Homo (*f*) homini reservat iram, & a Deo querit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? O ingratissime peccator! attendis, quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo? O formidolosa sententia! Si parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittentur? In tribulationibus, summæ est dementiæ, attendere ad secundas caussas, & non ad Deum, qui eas immittit in nostrum bonum. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus. *Ibidem.* *Judicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam.* Si, (*g*) non dimittis injuriam, quæ tibi facta est, non orationem prote facis, sed maledictionem super te inducis, cum dicis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Impudenter a Domino veniam petit, qui conservo eam negat. Ne (*b*) dicas in lingua, ignosco: & corde

corde differas. Vocem tuam audit homo, conscientiam Deus inspicit. Melius est, dum non clamas ore, & in corde dimittis; quam blandus ore, crudelis corde. Quoties (*i*) vis dimitti tibi, toties tu dimitte. Immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte.

(*a*) S. Greg. (*b*) Eccl 18. (*c*) S. Greg. (*d*) Bart. de Martyr. (*e*) S. Ber. (*f*) S. Hier. (*g*) S. Anast. (*b*) S. Aug. (*i*) S. Petr. Chrysol.

Dominica XXII.

Post Pentecosten.

An liceat censum dare Cæsari?

Mane.

PUNCTUM I.

ABeuentes Pharisei consilium iniverunt, ut caperent JESUM in sermone. *Matth. 22.* Pharisaicus (*a*) dolus est, cum aliud quis lingua loquitur, aliud volvit in corde. Ore amicitias simulat, mente odium, & vindictam versat. Blanditiis proximum complectitur, ac interim, quæ ad perniciem ejus faciant, meditatur. Qui suaviloquentia proximum circumvenit, diaboli mancipium efficitur.

tur. Dæmon in Paradiso Evam circum-
venit locutione fraudulenta: & inde no-
bis mors, inde lapsus, inde perditio.
Filii diaboli proximos circumveniunt in
vitæ confortio: ipsi sermonem inchoant,
ut cum quicquam protuleris, ad alterum
deferant, & te inter, & illum, chari-
tatis vinculum dissolvant.

PUNCTUM II. Licet censum dare Cæ-
sari, an non? *Ibidem.* Quid sit (*b*) li-
bertas, quæris? nulli rei servire, nulli
necessitati, nullis casibus. Ille (*c*) in
quavis conditione liber est, qui amore
non capit, avaritiæ vinculis non tene-
tur, metu criminis non alligatur: qui
securus expectat præsentia, quem non
terrent futura. Quem (*d*) delectat ve-
ra libertas, ab amore rerum mutabilium
liber esse appetat: & quem regnare de-
lectat, uni omnium Regnatori Deo sub-
jectus sit, plus eum diligendo, quam
seipsum.

PUNCTUM III. Cognita autem JESUS
nequitia eorum, ait: Quid me tentatis
hypocritæ? *Ibidem.* *Innocentiae simulatio, est*
Dei tentatio, virtutis exterminatio, pecca-
S toris

toris condemnatio. Hypocrisis (*e*) subtile malum, secretum virus, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrita secura simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, & crudeli arte, virtutes truncat mucrone virtutum: Jejunium jejunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. *Si sapis, non propalam, sed clam: quoties videlicet tibi soli in cella permanere licuerit, non nullos actus humilitatis, contritionis, gratiarum actionis, & alios exercere nitaris.* *Lege Const. p. I. c. 5. ad calcem.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Cujus est imago hæc?
Ibidem. O Anima! (*f*) insignita DEI imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, heres bonitatis, rationis particeps: Quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinum invenisti? ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest. Capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit.

Felix

Felix anima! (g) quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, potentia reducit, obedientia conducit, perseverantia perducit.

PUNCTUM II. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Ibidem.* Deo (b) ea, quæ Dei sunt nos reddere oportet: id est corpus & animam, & voluntatem. Dei numisma homo est, in quo est Dei imago figura-
ta; ideo Deo innocentiae conscientiam servato, & quæ virtutis sunt, reddito. Quisquis (i) bene cogitat, quæ voverit Deo; quæ vovit, persolvat, & se ipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris, reddatur Cæsari; imago Dei; reddatur Deo. Deo reddendus est christianus amor; Regibus humanus timor.

(a) S. Bern. (b) Sen. (c) S. Ambr. (d) S. Aug.
(e) S. Petr. Chrysol. (f) S. Bern. (g) S. Aug. (h) S. Hilar. (i) S. Aug.

DOMINICA XXIII.

POST PENTECOSTEN.

Filia Principis ad vitam revocatur.

Mane.

PUNCTUM I.

D^Omine, Filia mea modo defuncta
S 2 est,

est, sed veni, impone manum tuam super eam. *Matth. 9.* *Manus super mortuos imponimus, cum pro illis Dei misericordiam exoramus.* Unum (*a*) ex sanctioribus operibus est, quibus se homo exercere potest in hac vita: Offerre sacrificia, & orare pro defunctis, qui sunt in purgatorio. Omne, quod defunctis, causa pietatis impenditur, in nostrum bonum convertitur. Ora pro defunctis, ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant nos, ut juventur per nos. Quoniam eorum, quos in hac vita mortali, ac domestica disciplina, ut vere in Christo fratres habuimus, post mortem nullatenus oblivisci debemus: Piis suffragiis, & orationibus, quantum fas est, in Domino juvabimus. *Const.*

p. i. c. 10.

PUNCTUM II. Et surgens JESUS, sequebatur eum. *Ibidem.* *O Mira Christi alacritas ad opitulandum!* Beatus, (*b*) qui ubique te Ducem habet Domine JESU! & non illum transfugam Spiritum, qui voluit ad thronum Majestatis tuæ accedere.

dere. Nos autem populus tuus sequamur te, per te, ad te: quia tu es veritas, via, & vita. Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Sequatur elationem dæmonis, cui præplacet poena inferorum, gaudiis Regni cœlorum. Superbus (*c*) Monachus, dæmone, quem sequatur, opus non habet: ipse sibi & dæmon, & inimicus, & hostis est.

PUNCTUM III. Non est mortua puerula, sed dormit. *Ibidem.* Mors justorum, somnus verius est, quam interitus. Non interit, qui in cœlo vivit. Habet (*d*) hoc Religio, ut qui eam secuti sunt, primum in hac vita multis bonis repleteat; deinde post vitæ exitum, ad DEum perducat. Spiritui (*e*) a corpore exeunti e cella, in cœlum non longa, nec difficilis via invenitur. Moriens aut vix, aut nunquam aliquis, a cella ad infernum descendit: quia vix unquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in cella usque ad mortem perstiterit. Mors ergo justorum, & somnus valde sunt affinia.

S. Bern.

PUNCTUM I. Et deridebant eum.
Ibidem. Reprobi, (*f*) iussionis vel combinationis Divinæ judicium derident; parata tamen eos expectant judicia damnationis. Quid (*g*) sibi plaudit ini quis, quia de illo flagellum sibi fecit Pater meus? illum assumit ad ministerium, me erudit ad Patrimonium. Si videris (*h*) irrisorem Monachum, de quo prius bene confidebas, ubique stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas; e motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoscas. Ex insolenti corporis motu, morbus animæ deprehenditur: quam, dum a sui circumspectione torpescit, incuria sui, curiosam in alios facit. **Religiosus curiosus oblivio sui est. B. P. N.**

PUNCTUM II. Et cum ejecta esset turba, intravit. *Ibidem.* Ejicienda (*i*) est de corde secularium curarum multitudo, ut anima resurgat. Præoccupatum (*k*) secularibus desideriis animum delectatio Sancta declinat. Misceri non possunt vana

vana veris: ut pariter sapiant, quæ sursum sunt, & quæ super terram. Mens mundi amori dedita, & temporalium fatigationi asueta, etiam si sibi vacare licet, & quæ ad salutem spectant, ordinare posset; tamen ad secularia, rerum terrenarum pondere pertrahitur.

(a) S. Aug. (b) S. Bern. de Ascens. Dom. (c) Clitemacus gradu 22. (d) S. Chrys. (e) S. Bern. (f) V. Beda. (g) S. Aug. (h) S. Bern. (i) S. Greg. (k) S. Bern.

NB. Si plures occurrerint Dominicæ, assumantur, quæ superfluerunt post Epiphaniam.

DOMINICA ULTIMA.

POST PENTECOSTEN.

Prædictitur Urbis, & Orbis desolation.

Mane.

PUNCTUM I.

CUM videritis abominationem desolationis. Matth. 24. *Abomination desolationis in loco Sancto stat, dum in Religione irreligiose vivitur.* Sunt quidam, (a) qui velut conversi, nihil abjiciunt ex pristinis moribus; qui non mutantur mente, sed veste. Hi sunt, qui sermo-

ne tantum seculo renunciasse contenti, seculariter vivunt: & vitia sua, inani professione virtutis abscondunt. Timorem (*b*) Domini rejiciunt, Religiosam solitudinem fugiunt: verbosi, curiosi, faceti usque ad detractionem, loquaces usque ad murmurationem: Vacant nungis, laborem fugiunt, & omnem Religiosi status disciplinam excutiunt.

PUNCTUM II. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. *Ibidem.* Mons Christum, altitudo Religiosam perfectionem significat: quam Christus, & docuit, & fecit. Ut Deo (*c*) a quo sumus facti, nos reddamus; ne dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitiis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo: & impleta est tota hominis perfectio. Jejunia, (*d*) vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum; non perfectio, sed perfectio-nis instrumenta sunt. Perfectio est, (*e*) Christo nihil præponere; quia nec nobis quidquam ille præposuit.

PUNCTUM III. Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua. *Ibidem.* *Fam tum Religiose perfectionis tectum inscendisti, cum te perfecte Deo devovisti.* Si (f) perfectus non es, Deo mentitus es. Os autem quod mentitur, occidit animam. Si perfectus es, cur bona paterna desideras? *Cur possidere opes sub Christo paupere anhelas?* cur descendis tollere aliquid de domo tua? Ad (g) Professionem nostram pertinet: Paupertatis studium quærere, & non solum facultates, sed etiam ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum necessitatis est; nihil autem cupere, virtutis.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Erit tunc tribulatio magna. *Ibidem.* Dispone, (b) & ordina omnia secundum tuum velle, & non invenies, nisi semper aliquid debere pati, aut sponte, aut invite. Si putas (i) te nondum habere tribulationes; nondum cepisti esse Christianus. Ubi est vox Apostoli: omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem

patientur? si non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum ceperis pie vivere in Christo. Gaudeat Christianus in adversis: quia aut probatur, si justus est; aut si peccator est, emendatur. Servus Christi patienter tolerat omnia, parce loquitur, & multum laborat pro Christo. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Qualis non fuit ab initio mundi usque modo. *Ibidem.* Nemo (*k*) sibi dicat: fuerunt tribulationes apud Patres nostros, apud nos non sunt. Pejora (*l*) sunt, quæ patimur, his, quæ Paulus passus est. Eum illi lapidibus cædebant; sed nunc accedit: ut verbis, lapidibus durioribus feriamur. Sed (*m*) gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Si malus convitium dicat, justus taceat. Si infirmus injuriam inferat, justus sufferat. Si pauper criminetur, justus non respondeat.

(*a*) S. Prosp. de vita Contempl. (*b*) S. Bern. (*c*) S. Prosp. l. 3. de vita Contempl. (*d*) Abb. Moyses in coll. PP. (*e*) S. Cypr. (*f*) S. Aug. (*g*) S. Cæsarius. (*b*) Th.

(b) Th. a Kemp. (i) S. Aug. in ps. 55. (k) Idem.
 (l) S. Chrysost. hom. 31. ad pop. (m) S. Greg. l. 30.
 mor.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

Zacchæus hospitio Christum excipit.

Mane.

PUNCTUM I.

Zacchæus, & ipse dives quærebat vivere JESUM. *Lucæ 19.* Vere (a) dives, qui in conspectu Dei potest dives videri: in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Solum illum divitem Deus novit, qui sit dives æternitati: qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi? ut nihil concupiscat, nec vetera fastidiat, nec nova quærat? dives pax, dives modestia, dives fides, dives simplicitas, dives bonitas: quam, si quis servaverit, pascitur in divitiis cœlestis hereditatis. Nemo dives est, qui quod habet, secum auferre non potest. Ubi

abun-

abundantia, ibi satietas: ubi fames cupiditatum, ibi utique paupertas est.

PUNCTUM II. Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. *Ibidem.* Non (*b*) laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo: brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Parvi, (*c*) valde acuti sunt. Zacchæus (*d*) cupit nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu: videre facie, quem viderat mente, contemplari præsentem, quem nunquam viderat operantem. Mellis (*e*) gutta idem sapit, quod totus favus. Nec ideo margarita vilis, quia exigua; sed ideo magis pretiosa, quia & in exiguo modo, magnum pretium habet. Deus (*f*) non est acceptor personarum. Inter (*g*) omnia peccata Sacerdotum, est maximum: quod non cauñas, sed personas considerant.

PUNCTUM III. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum. *Ibidem.* Pusillus Zacchæus (*b*) sycomorum subiit, & Dominum vidit: quia, qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam

tiam, subtiliter contemplantur. Non (*i*) aliam putas esse sapientiam, quam veritatem, in qua tenetur, & certe nitor summum bonum. Nullo loco est, & nusquam deest: foris admonet, intus docet O utinam (*k*) saperes, & intelligeres, ac novissima provideres! Saperes, quæ Dei sunt: intelligeres, quæ mundi sunt: provideres, quæ inferni sunt. Profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ in manu sunt, contemneres.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Hodie in domo tua oportet me manere. *Ibidem.* Dignum (*l*) habitaculum parat Deo, cuius non est ratio decepta, non voluntas perversa, non memoria inquinata. Videat anima, ne a se invicem membra dissidenteant: ratio, voluntas, & memoria. Redi ad cor tuum, & diligenter discute teipsum: considera, unde venis, & quo tendis? quomodo vivis? quid agis? quid amittis? quantum quotidie proficias, vel deficias? Domum Dei decet sanctitudo: quia non tam politis marmoribus, quam

quam ornatis moribus delectatur: & puras magis diligit mentes, quam auratos parietes.

PUNCTUM II. Hodie salus huic domui facta est. *Ibidem.* Animam (*m*) sanctam visitant Angeli, utpote templum Dei. Templum hoc, cum ornatum fuerit, & dedicatum; nullos ulterius alienos titulos potest suscipere: nullum habitatorem, nisi Deum, qui condidit illud, & creavit. Nihil ultra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit, aut curat. Si quid prosperum invenerit, pertransit; non conturbatur, si quid adversum contingit. Conversemur (*n*) quasi Dei templo, ut Deum in nobis constet habitare: ut qui cœlestes, & spirituales esse cepimus, non nisi cœlestia & spiritualia cogitemus, & agamus. Religiosorum exempla mors, & vita secularium. *B. P. N.*

(*a*) S. Ambr. l. 4. Ep. 67. (*b*) Eccl. II. (*c*) Arist. (*d*) S. Chrysost. (*e*) S. Paulin. (*f*) A&. 10. (*g*) S. Ambr. (*h*) S. Gregor. (*i*) S. August. (*k*) S. Bern. (*l*) Idem. (*m*) Idem. (*n*) S. Cypr. tract. de orat. Dom.

I. Januarii.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS
DOMINI.*De Sanctissimo JESU Nominе.*

Mane.

PUNCTUM I.

Postquam consummati sunt dies octo.
P *Lucæ 2.* O Domine (*a*) quam admirabile est nomen tuum! vere tu es Deus, qui facis mirabilia. Jam non mundi hujus structuram admiror, non stabilitatem terræ, non Lunæ defectum, non Solem semper integrum, & ejus laborem perpetuum: miror DEUM in utero Virginis; miror omnipotentem in cunabulis; miror, quomodo Verbo Dei Caro adhæserit? quomodo circumcisionis legi sponte sua se subjecerit? Tuæ salutis caussa suscepit (*b*) Christus circumcisionem, ablatus circumcisionem ipsam: suscepit umbram, datus lucem: suscepit figuram, impleturus veritatem. *Recognosce, gratias age, adora.*

PUN-

PUNCTUM II. Ut circumcideretur Puer.
Ibidem. Christus (*c*) in Incarnatione induit formam hominis, in circumcisione peccatoris. Legislator circumcisionis, non tenebatur lege circumcisionis. Expers peccati, non indigebat remedio peccati. Attamen sine peccati traduce, Sancti Spiritus obumbratione conceptus, Sacra Matris Virginitate genitus, signum peccati, & stigma suscepit: ut tibi humilitatis, ut obedientiæ exemplum relinquat. *Cujus superbiam, cuius inobedientiam hoc exemplum Christi non curat; nescire se S. Augustinus clamat, quid eam curare queat?* Non est humilis Religiosus, qui deditur, & non optat sperni. *B. P. N.*

PUNCTUM III. Vocatum est Nomen ejus Jesus. *Ibidem.* Nomen (*d*) Jesu quam charum! quam utile! quam salubre! si charum non esset, amorem cordis mei non accenderet: si utile non esset, salute in mihi non adferret: si salubre non esset, non me lucraretur. Nomen Jesu lucet prædicatum, pascit reco-

recogitatum , juvat invocatum. Nō men Jesu reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, castas fovet cogitationes. O Jesu ! sis mihi propter nomen tuum Jesus , & salva me.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quod vocatum est ab Angelo. *Ibidem. Triumphale nomen Jesus, non prius Dei Filio imponitur, quam circumcidatur. Quo (e) plus se humiliat Christus, tanto amplius eum Pater æternus exaltat. Nascitur in stabulo, annunciatur Pastori-bus de Cœlo; jacet pannis involutus in præsepio, stellæ lumine manifestatur toti mundo; circumciditur ut peccati reus, adoratur a magis ut verus Deus.* O Sancta, venerabilisque humilitas! (f) Tu Dei Filiū descendere fecisti in uterum Virginis: ut nos ascendamus in sinum æterni Patris. Tu illum fecisti indui vilibus pannis: ut nos induamur virtutum ornamentis. Tu illum circumcidisti in carne: ut nos circumcideremur mente. Non vereare humiliari cum Christo: ut a Patre exalteris cum Christo.

PUNCTUM II. Priusquam in utero con-
T cipe-

ciperetur. *Ibidem.* Ita DEO curæ sunt Filii Dei. Non sit tibi cura de magni nominis vana gloria, si vis nomen tuum scriptum esse in cœlesti Patria. Dic mihi (g) ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Quid profuit illis inanis gloria? brevis lætitia? jačtantia? arrogantia? De illa exultatione ceciderunt in magnam ruinam. Nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes. Quidquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es. Homo de humo, limus de limo. De terra es, & de terra vivis, & in terram revertaris. Subito veniet dies ultima, & forsan hodie. *Qui socii erant in vitiis, deleti de Libro vitæ, socii erunt in pœnis.* Cura, ut nomen tuum scriptum sit in cœlis.

(a) S. Cyprian. (b) S. August. (c) S. Bern.
 (d) Idem super cant. (e) ex Eodem. (f) S. Aug.
 (g) S. Hier.

VI. Januar.

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI.

Vocatio Magorum.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce Magi ab oriente venerunt.

Matth.

Matth. 2. Ecce (*a*) vocat nos Deus per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. Nemo vocatus contemnat; ne dum voluerit intrare, non valeat. Si verbis (*b*) non creditis, operibus credite. Currunt undique peccatores ad pœnitentiam, & natura, & consuetudine delicati. Nil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum, nil arduum reputatur. Servus Dei pro Christi amore non curat propria comoda. Beat. P. N.

PUNCTUM II. Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerousalem cum eo. *Ibidem.* Tyrannum Herodem Regis legitimi adventu turbari, non miror; Iudeos tamdiu expectati Messiae nativitate turbari indignor. Herodes metuebat Regni amissionem, Iudei scelerum castigationem. Habet (*c*) hoc infelix

peccandi consuetudo , ut perturbationem
menti ingeneret. Tenent pravæ con-
fuetudines, quem semel ceperunt, atque
quotidie duriores existunt , & nonnisi
cum peccatoris vita finiuntur. Usitata
culpa obligat mentem , ut nequaquam
surgere possit ad rectitudinem. Cona-
tur & labitur: quia ubi diu sponte
perstitit, ibi cum noluerit, cadit.

PUNCTUM III. Et ecce stella, quam
viderant antecedebat eos. *Ibidem.* Qui
ad justitiam erudiunt multos , fulgebunt
quasi stellæ. Quicunque (*d*) in Eccle-
sia pie vivit, & caste ; qui, ea quæ
sursum sunt sapit, non quæ super ter-
ram : cœlestis instar est luminis. Et
dum ipse Sanctæ vitæ nitorem servat,
multis viam ad Dominum , quasi stella,
demonstrat. Hoc (*e*) Magistri optimi
est officium , suo exemplo docere, quæ
præcipit. Hoc (*f*) habet proprium do-
ctrina , arrogantium, ut humiliter ne-
sciant inferre, quæ docent. Qui dum
docent, quasi in quodam sibi videntur
summitatis culmine residere; eosque,
quos docent, ut longe infra se positos
despi-

despiciunt : quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. O ignes fatui, non stellæ firmamenti !

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. *Ibidem.* Adorant Magi (g) in carne Verbum ; in infantia sapientiam ; in infirmitate virtutem ; in hominis vilitate, Dei Majestatem. Attende interim (h) quid obtulerint, & cognosces, quid crediderint. Auro (i) Regem, Thure Deum, mirra mortalem prædicant. Aurum (k) offerimus, si claritate supernæ sapientiæ splendemus ; thus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia, in ara cordis incendimus : ut suavi odore per cœleste desiderium redolere valeamus ; mirrham, si carnis vitia mortificamus. *Tria præcipua munera Jesu Christo obtulisti, dum solemnia Religionis vota nuncupasti.* Non te (l) vovisse pœniteat ; immo gaude jam tibi non licere, quod cum nocumento licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.

PUNCTUM II. Per aliam viam reversi sunt in Regionem suam. *Ibidem.* Regio (*m*) nostra paradiſus est: ad quam Jesu cognito, per eandem viam, qua venimus, redire prohibemur. A Regione nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sectando, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Nunquam (*n*) spernit Deus pœnitentiam, si ei sincere offeratur. Si ad summum quis perveniat malorum, inde tamen velit reverti ad viam virtutis, fuscipit libenter, & amplectitur.

(*a*) S. Gregor. Homil. 39. in Evang. (*b*) S. Bern.
 (*c*) S. Gregor. l. 15. Moral. (*d*) S. Leo Papa. (*e*)
 S. Chrysostom. (*f*) S. Greg. l. 14. Mor. (*g*) S. Leo.
 (*h*) S. Fulg. (*i*) S. Ambros. (*k*) S. Greg. (*l*) S.
 Augustin. (*m*) S. Greg. (*n*) S. Chrysost.

XVIII. Januar.

FESTUM CATHEDRÆ S. PETRI ROMÆ.

Vide 29. Junii.

XXV. Januar.

IN FESTO CONVERSIONIS SANCTI PAULI.

Præmia sequentium Christum.

Mane.

PUNCTUM I.

DIxit Petrus ad Jesum: ecce nos reliquimus omnia. *Matth. 19.* Petrus (*a*) non solum dimisit, quidquid habebat; sed etiam, quidquid habere cupiebat. *Spem aquiriendi, desiderium possidendi, curam conservandi dereliquit.* Nisi (*b*) ex toto corde, & affectu pauper sis; paupertas ipsa, non virtus, sed miseria est. Habendi amor, nisi ad integrum resecetur; ardentior est in parvis, & plus torquet in rebus minimis. Quid (*c*) insipientiae, immo insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora tanto affectu teneamus? Mundum contemsimus universum; abrenunciavimus affectibus propinquorum; Monasteriorum carceri mancipavimus nosmet ipsos; & tamen in rebus ludicris cor &

T 4

ani-

animum defigimus? Cave hanc scrutariam
nundinationem.

PUNCTUM II. Et secuti sumus te.
Ibidem. Multi (*d*) divitias relinquentes
Dominum non sequuntur. Non sufficit
ad perfectionem omnia relinquere; nisi
post contemtas divitias sequaris salvato-
rem: id est, relictis malis, facias bona.
Si quis (*e*) renunciet omnibus, quae pos-
sideret, & suis non renunciet moribus;
non est Christi discipulus. Qui enim
renunciat rebus suis, sua abnegat: qui
vero renunciat suis moribus, se ipsum
abnegat. Nihil (*f*) proderit pecunias
non habere, si voluntas fuerit in nobis
possidendi. Miserabile autem est, pau-
pertatis æstus tolerasse: fructus vero
eiusdem, pravæ voluntatis vitio perdi-
sse. Proprietarius plus amittit,
quam furatur. *B. P. N.*

PUNCTUM III. Quid ergo erit nobis?
Ibidem. Hodie (*g*) promissionis tempus
est: audi, crede, expecta: crede cre-
ditori tuo, qui tibi credidit debitori
suo; expecta parumper, ut veniat, qui
te

te diu sustinuit, ut venires. Da illi inducias de promisso, qui tibi, quidquid erat debiti, condonavit. O quam (*b*) jucundum erit, ad vera, atque solida gaudia, & ad Angelorum transire confortia! ad illam vitam conscendere: ubi nulli erunt labores, nulla damna, nulla incommoda, nulla peccata; sed æterna innocentia, inviolata justitia, inconclusa securitas, sempiterna felicitas. O beata (*i*) Regio deliciarum, ad te suspirio de valle lachrymarum!

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, cum federit Filius hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, *Ibidem*. O (*k*) honoris culmen! o fiduciæ privilegium! o prærogativam securitatis! o *felix regularium ordinum conditio*! felix plane: quæ tam securos, immo gloriosos facit, in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Quid enim tam pavendum? quid tam plenum anxietatis, &

T 5 foli-

folicitudinis cogitari potest: quam judicandum adstare illi tam terrifico tribunali? quam incertam adhuc expectare, sub tam districto Judice sententiam?

PUNCTUM II. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut forores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Ibidem.* O Bonitas!

(l) O munificentia creatoris! pro caducis, stabilia; pro vilibus, pretiosa; pro minimis, maxima; pro humanis, divina; pro momentaneis, retribuet sempiterna. *Cui, (m) contemtis facultatibus portio Deus est, totius naturæ Dominus est.* Pro agris, (n) ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui non possit perire. Pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Dei: quia nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? ea est portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid beatius possessione Divina? *Jacta cogitatum tuum in Domino: ipse te enutriet in Cænobio, qui Eliam in deserto, qui Antonium*

nium & Paulum in eremo enutritivit. S.
Franc. Seraph.

(a) S. August. (b) S. Cæsar. (c) S. Bernar.
(d) Raban. super Matth. (e) S. Isidor. l. 3. de sum.
bono (f) Cast. (g) S. Chrysol. (h) Euseb. Emys.
(i) S. Bernar. (k) Idem. Serm. 8. in ps. Qui habi.
tat. (l) Idem. (m) ex S. Ambr. (n) Idem.

II. Februar.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

Prophetia Simeonis de Christo.

Mane.

PUNCTUM I.

POstquam impleti sunt dies purgatio.
nis Mariæ. *Luc. 2.* *Immaculato par-*
tu, quo puritatem genuisti, purissima effe-
cta es, o Mater Puritatis! quorsum igitur
tibi legalis purificatio? cum (a) Proles
ista, fons purgationis sit, & venerit fa-
cere purificationem delictorum. Vere
o Beata Virgo! vere non habes cauf-
sam, nec habes opus purificatione; sed,
nunquid Filio tuo opus erat circumci-
sione? esto inter mulieres tanquam una
earum: nam & Filius tuus, sic est in
nume-

numero puerorum. O Mater *recipe me in numerum filiorum!* Verum, quicunque (b) sibi Mariæ optat præsidium, imitetur exemplum. Agnoscit (c) illa, & diligit, diligentes se: prope est invocantibus se: præsertim illis, quos videt conformes sibi factos in castitate, & humilitate.

PUNCTUM II. Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. *Ibidem. Quam grata hæc fuit Deo Patri oblatio? quam acceptabile sacrificium?* cum aliquis, (d) omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vovit: holocaustum est. Illi, qui ex posseditis rebus, subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid DEO immolant, aliquid sibi reservant. Qui nihil sibi reservant; offerunt holocaustum, quod majus sacrificio est. Ut feliori cursu, & novo semper merito viam virtutum perficias, singulis diebus coram SS. Eucharistiæ Sacramento, genibus flexis, vota iterare, seu confidere consvescas. *Const. p. 2. c. 1.*

Pun-

PUNCTUM III. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus. *Ibidem.* *A justitia Sanctus Senecio laudatur.* Vera laus est (e) quæ non ab hominibus, sed a Deo proficiuntur. Quid prodest, si justus appareas coram hominibus, cum in oculis Dei plenus iniquitate inveniaris? nihil tibi oberit, si mundus universus te vituperet, modo Dominus universi laudet, & extollat. *Noli tamen justitiam facere coram hominibus, ut videaris ab eis; nec idcirco bona propalam agere pertimescas.* Si (f) times speculatores, non habebis imitatores. Debes videri: sed non ad hoc debes facere, ut videaris.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum. *Ibidem.* Prædestinatorum (g) ita certus est numerus, ut nec addatur ei quisquam, nec minuatur. Tene ergo, quod habes. Si enim aliis non est accepturus coronam, nisi iste perdiderit; certus est numerus. Providentia (h) Divina omnia disposuit. Malitiam non fecit;

cit; cum tamen ab aliis inventam prohibere possit, non prohibet. Si malitia non esset, virtus contrarium non haberet. Aufer malitiam Judæ & proditionem; auferes pariter Christi cruxem, & passionem. Non solis bonis utitur Deus ad opus bonum; sed etiam malis. Sunt vasa ad honorem, sunt ad contumeliam.

PUNCTUM II. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Ibidem.* Beata (*i*) Dei Genitrix Virgo, & Martyr fuit; quamvis in pace vitam finierit. Alii Sancti, & si passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima pati non potuerunt. Beata Dei Genitrix, quia in illa parte passa est, quæ impassibilis habetur, plus quam Martyr fuit. Quia plus omnibus dilexit, propterea plus doluit. Ejus dilectio, amplius fortis, quam mors fuit: quia mortem Christi suam fecit. Illa (*k*) in tota se, grande amoris vulnus accepit: ego vero me felicem putaverim, si summa saltem cupide hujus gladii pungi me interdum sensero, ut vel modico accepto amoris

vul-

vulnere dicat anima mea: Vulnerata
chatitate ego sum.

(a) S. Bern. Serm. 3. de Purif. (b) S. Ambr.
(c) S. Bern. (d) S. Greg. (e) S. Bern. (f) S.
Aug. tract. in Ep. 1. Joan. (g) Idem de Prædeit.
SS. (h) Orig. (i) S. Hieron. (k) S. Bern.

XXII. Februarii.

FESTUM CATHEDRÆ S. PETRI ANTIOCHIÆ.

Vide 29. Junii.

XXV. Februarii.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Jugum Christi Suave.

Mane.

PUNCTUM I.

CONFITEOR tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. *Matth. 11.* Si tanto (a) studio, & solicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur secularis, & vana scientia; & citoius apprehenderetur, & utilius retinetur. *Nil scies, si modum sciendi nesciveris.*

ris. Modus est: ut scias quo ordine,
quo studio, quo fine quæquæ nosse o-
pus. Quo ordine? ut id prius, quod
maturius ad salutem. Quo studio? ut
id ardentius, quod vehementius ad Dei
amorem. Quo fine? ut non ad ina-
nem gloriam, curiositatem, aut aliquid
simile; sed tantum ad ædificationem
tuam vel proximi. Qui scholis præsunt,
ita studia cum pietatis ardore conjun-
gant, ut alterum alteri emolumento esse
possit. *Const. p. 2. c. 10.*

PUNCTUM II. Ita Pater: quoniam sic
fuit placitum ante te. *Ibidem.* Aliquid
(b) contra proprium velle, difficile est,
ut tibi non contingat. Sed, statim co-
gita Dei voluntatem supra te, tuam in-
fra Deum: Illum Creatorem, te creatu-
ram; illum Dominum, te servum.
Grande (c) malum propria voluntas.
Propria voluntas est, quæ non est com-
munis cum Deo, & hominibus: Quan-
do quod volumus, non ad honorem
Dei, non ad utilitatem fratrum; sed
propter nosmetipos facimus. Cesset vo-
luntas propria, & infernus non erit.

Sina-

Sinamus Deum agere , quod ei
videtur ; nos sanctam ejus vo-
luntatem fortiter exequamur.

B. P. N.

PUNCTUM III. . Omnia mihi tradita
sunt a Patre meo. *Ibidem. Quid habes,*
quod a Deo non accepisti ? creavit te (d)
commodo tuo , non suo ; cui ait Da-
vid : bonorum meorum non eges. Si-
ne merito tuo : quia nihil ante prome-
ruit , qui penitus nihil fuit. Cogita ,
qualem fecit secundum corpus , egre-
giam creaturam ; secundum animam ma-
gis egregiam , utpote imagine Creatoris
insignem. Considera dominationis po-
testatem : terror enim hominis super
omnia animantia. Considera largitatis
demonstrationem : quanta tibi largitus
est ad sustentationem ? quanta ad eru-
ditionem ? quanta ad consolationem ?
quanta ad correctionem ? quid ni gra-
tias agas ?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Venite ad me omnes
qui laboratis , & onerati estis , & ego

reficiam vos. *Ibidem.* Laborantes (*e*) ad refectionem invitat , ad requiem provocat oneratos. Onus tamen non subtrahit , aut laborem : magis autem onere alio , alio labore commutat ; sed onere levi , suavi jugo , in quibus requies , aut refectio , & si minus apparet , tamen invenitur. Asperum (*f*) jugum , & duræ servitutis pondus est : subesse temporalibus , ambire terrena , retinere labentia , velle stare in nonstantibus , appetere transeuntia ; sed cum transeuntibus nolle transire. Portare (*g*) Christi onus , & jugum suave est ; si ornamenta putas cervicis tuæ , non onera. Erige cervicem ! redimicula , non vincula geris.

PUNCTUM II. Tollite jugum meum super vos. *Ibidem.* Nolite (*b*) timere , quia jugum est ; festinate , quia leve est. Non conterit colla , sed honestat. Quid dubitatis ? quid procrastinatis ? non alligat cervicem vinculis , sed mentem gratia copulat. Non necessitate constringit , sed voluntatem boni operis dirigit. Non mirum , si jugum istud le-

ve sit: quoniam homini veræ gloriæ
cupido, omnia gloriosa, & honorifica,
levia, & suavia putantur. Nihil est
jugo Christi gloriosius. Quod (*i*) si
non intelligis, nulla te admiratio teneat:
non forti animo es. Ut enim, cum
animi vis adest, gravia levia fiunt: sic
cum abest, levia gravia fiunt.

(*a*) S. Bern. (*b*) S. August. (*c*) S. Bernar.
(*d*) Idem. (*e*) Idem Sermo. 15. in psal. (*f*) S.
Gregor. (*g*) S. Ambros. (*h*) Idem. (*i*) S. Chry-
soform.

XIX. *Martii.*IN FESTO S. JOSEPHI SPONSI
BEATÆ V. M.*Justitia S. Josephi.*

Mane.

PUNCTUM. I.

CUM esset desponsata Mater IESU
Maria Joseph. *Mattb.* 1. Gaude
(*a*) Joseph, nimiumque congaude Vir-
ginitati Mariæ, qui solus meruisti virgi-
nalem affectum possidere conjugii: quia
per meritum Virginitatis, Pater diceris
Salvatoris. Habe Joseph, cum Maria

conjuge tua communem Virginitatem : quia de Virgine nascitur virtus Angelorum. Sit Maria Sponsa Christi in carne sua , Virginitate servata : Sis autem & tu Pater Christi cura castitatis , & honorificentia Virginitatis. *Sed hujus Cœlestis virtutis Custos pudicitia est.* Hæc (b) est honor corporum , ornamentum morum , vinculum pudoris. Hæc nos commendat Domino , conneétit Christo. Præclarum est aspectu , incessu , & totius corporis forma castitatem colere: *Const. p. I. c. 3.*

PUNCTUM II. Joseph autem Vir ejus, cum esset justus. *Ibidem.* Justitia (c) est animi libertas , tribuens unicuique suam propriam dignitatem : Majori reverentiam, pari concordiam , minori disciplinam , Deo obedientiam , sibi sanctimoniam , inimico patientiam , egeno operosam misericordiam. Justus non solum aliis utilis est , sed etiam ipse sibi. Justus , nec intellectum in superfluis , turpibus , & illicitis ; nec memoriam in injuriis ; nec voluntatem in humana , vel divina lege vetitis ; nec exteriores

cor-

corporis sensus, in nocivis voluptatibus occupari patitur; sed omnia rationis imperio subjicere conatur.

PUNCTUM III. Voluit occulte dimittere eam. *Ibidem. Disce hic a Justo, iuste consulere famæ alienæ.* Videas (*d*) a detractore præmitti suspiria, sicque cum quadam gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem: & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde non invido, sed magis condolenti affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, quod eum satis diligo, & nunquam potui de hac re corriger eum: & alias quidem mihi bene compertum fuerat de eo istud: sed per me nunquam innotuisset; at, quoniam per alterum patefacta res, veritatem negare non possum: revera ita est. *O versipellis malitia!* Absit a Religioso, vocem habere Jacob; manum autem Esau. *B. P. N.*

PUNCTUM I. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei. *Ibidem.* Credimus (*e*) Angelos Sanctos adstante orantibus, offerre vota, & preces hominum; si sine deceptione levari puras manus consperxerint. Adsunt, non solum præsentes tecum, sed etiam pro te. In quovis angulo reverentiam exhibe tuo Angelo. Non audeas eo præsente, quod me vidente non auderes. Cavenda est nobis Angelorum offensa, & in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Hæc autem placent eis: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in Cœlum gemitus: & super hæc omnia veritatem, & pacem a nobis exigunt.

PUNCTUM II. Noli timere accipere Mariam. *Ibidem.* Quid (*f*) ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil austерum in illa, nihil terribile; tota suavis est. Revolve Evangelii seriem universam, & si quod signum, vel tenuis indignationis occurrerit in Ma-

Maria; accedere verearis. Sinum misericordiae suæ Maria omnibus aperit: ut de plenitudine illius accipient universi: Captivus redemtionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, omnis, qui eam invocat misericordiam. Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam veneremur: quia hæc est voluntas ejus, qui omnia nos voluit habere per Mariam.

(a) S. August. Serm. 24. de Nativ. Dom. (b)
S. Cyprian. (c) S. Ansel. (d) S. Bernar. super
Cant. Serm. 24. (e) Idem. (f) Idem.

XXV. Martii.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. M.

Incarnatio Verbi Divini.

Mane.

PUNCTUM I.

Missus est Angelus Gabriel. *Luc. i.*
O felix dies, non tam anniversaria
mundi creati, quam Verbi Incarnati, pas-
si, & mortui memoria! O ingratissime ani-

*me mi ! qui , cum tantum Deo debeas ,
quantum mundus universus , pro se hodie
facto , & refecto ; quid retribues Domino ,
pro te ad scholas Pias bac ipsa die insti-
tutas cooptato ? ne plane ingratus sis ; An-
gelum annunciantem , qua licet , imitabere .
Unusquisque , (a) qui a pravitate pro-
ximum revocat , qui ad bene operan-
dum exhortatur , qui æternum regnum ,
vel supplicium erranti denunciat , qui
verba Sanctæ annunciationis impendit :
Angelus efficitur . S. Gregor.*

PUNCTUM II. Et ingressus Angelus
ad eam dixit : Ave gratia plena. *Ibi-
dem.* Libenter (b) nos salutat Maria
cum gratia : si libenter eam salutamus
cum Ave Maria. Qui vult condigne
Mariam salutare , Angelus sit ; non na-
tura , sed innocentia. Dum dicis , Ave
Maria : lætantur Cœli , gaudent Angeli ,
exultat mundus , infernus contremiscit ,
dæmones fugiunt , fugantur adversæ po-
testates. **O Magna ! (c) o Pia ! o mul-**
tum laudabilis Maria ! tu , nec nomina-
ri potes , quin accendas ; nec cogitari ,
quin recrees affectum diligentium te.

PUN-

PUNCTUM III. Dominus tecum. *Ibidem.*
 Tecum (*d*) Dominus in corde, tecum
 in mente, tecum in auxilio. Benedic-
 ta tu in mulieribus, quæ vitam viris,
 & mulieribus peperisti. Mater generis
 nostri pœnam intulit mundo; Genitrix
 Domini nostri salutem attulit mundo.
 Auctrix peccati Eva; Auctrix meriti
 Maria. Eva occidendo obfuit; Maria
 vivificando profuit. Vere (*e*) benedi-
 cta, quæ fuit major cœlo, fortior terra,
 orbe latior. Deum, quem mundus non
 capit, sola cepit. Portavit eum, qui
 portat orbem. Genuit Genitorem suum:
 nutrit omnium viventium Nutritorem.
 O Maria benedicta! benedic mihi: ut
 Dominus semper, & in omnibus sit me-
 cum, qui fieri dignatus est tecum.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quæ cum audisset, tur-
 bata est in sermone ejus. *Ibidem.* Di-
 scere (*f*) a Virgine verecundiam. Ma-
 ria etiam salutationem Angeli verebatur.
Majus (*g*) est miraculum, virum cum mu-
 liere multum diuque innocenter conversari;
 quam mortuos suscitare. Gravem (*b*) ini-

micum Sortita est castitas: cui non solum resistendum, sed longius fugiendum. Nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quæ religiosæ videntur: quando, quo religiosiores, tanto citius alliciunt. Sub prætextu pietatis, latet viscus libidinis. Coram Deo non mentior! cedros Libani sub hac peste cecidisse reperi. *S. Aug.* Feminarum consuetudinem, & colloquia vitabunt omnes; quæ, quantumvis religiosæ videantur, fugiendæ valde sunt. *Const. p. 2. c. 3.*

PUNCTUM II. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. *Ibidem.* Invenisti, (*i*) quod quærebas. Invenisti, quod nemo ante te potuit invenire. Invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei, & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hoc est, (*k*) quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, exhorret infernus. Angelus (*l*) nunciat, Virtus obumbrat, supervenit Spiritus, Virgo credit, fide concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. O Mater Dei, & Mater rei,

rei! Mater Judicis, & Mater exulis da:
ut Filius reus, inveniat gratiam apud
filium, qui est Deus.

(a) S. Greg. hom. 6. super Ezech. (b) S. Bo-
nav. (c) S. Bern. (d) S. Aug. (e) S. Petr. Chrysol.
Serm. 145. (f) S. Ambr. (g) ex Eodem. (h) S.
Aug. (i) S. Bern. hom. 3. super: Missus est. (k) S.
Greg. (l) S. Bern.

XXIII. April.

IN FESTO S. ADALBERTI EPISCOPI, & M.

Christus Vitis, nos Palmites.

Mane.

PUNCTUM I.

E Go sum vitis vera. *Ioan. 15.* Plan-
tasti, (a) Domine, radices ejus, &
implevit terram; operuit montes umbra
ejus, & arbusta ejus cedros Dei: ex-
tendit palmites suos usque ad mare.
Quasi vitis fructificavit suavitatem odoris:
& flores ejus fructus honoris, & honesta-
tis. Habuit (b) vitis ista vera, non
unius, sed omnium florum speciem:
Violam humilitatis, lilyum castitatis, ro-
sam

sam patientiae, & charitatis. Tota (*c*) vita Christi in terris, per hominem, quem gessit, disciplina morum fuit. Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum ejus, & vinum germinans virgines? Idcirco (*d*) Christus carnem assumxit: ut ei, quasi viti, nos homines carnei, quasi palmites inferi possemus.

PUNCTUM II. Et Pater meus Agricola est. *Ibidem*. Viro (*e*) sapienti, sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia: nihil quippe incultum, desertumque in se derelinquet. Cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium bonae conscientiae, cui lingua torcular expressionis, sermo, cogitatio, conversatio, & siquid aliud est: quidni totum Dei agricultura est? Cur (*f*) apud te cuncta neglecta? jacentia? inculta? fordida? ubi vitis verae virtutis? ubi botrus boni operis? ubi vinum lætitiae Spiritualis? Religiosus negligens, lætitia dæmonis est. *B.*
P. N.

PUNCTUM III. Ego sum vitis, vos palmites. *Ibidem.* Ita sunt (*g*) palmites in vite, ut viti nihil conferant; sed inde accipient, ut vivant. Sic est vitis in palmitibus, ut vitale alimentum subministret; non sumat ab eis. Per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis utrumque prodest; non Christo. Præciso palmite, potest de viva radice aliis pullulare: qui autem præcisus est, sine radice vivere non potest. Ubi (*h*) manendum, nisi in vite? in Christo? deficient domus, corruent palatia, destruentur civitates, cœlum, & terra transibunt; Verbum autem Domini manet in æternum. Maneamus ergo in eo, qui manet in æternum.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum. *Ibidem.* Palmes (*i*) fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur: ut ad uberiorem gratiam perducatur. Tu, (*k*) qualis palmes es? qualis filius?
quando

quando Pater, & Agricola cœlestis te emendat, tunc tibi displicet. Non emendareret, non purgaret; nisi tu illi displiceret. At, si sic displiceret, ut te odisset: non ille te emendareret, non purgaret; sed tolleret, & præcideret. Gratias age emendatori tuo: ut accipias hereditatem a Deo, qui te purgat, & emendat.

PUNCTUM II. Ut fructum plus afferrat. *Ibidem.* Nemo (*I*) dicat: sufficit. Sufficit mihi, justus sum. Qui dixit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixit: sufficit; ibi hæsit. Sanctæ vitæ (*m*) ratio, processu gaudet, & crescit; cessatione torpescit, & deficit. Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solum non aquirit nova, sed etiam peracta consumit. Otium parit fastidium; exercitium famem. Fames, miro modo dulcia reddit, quæ fastidium fecit insipida. Fugienda (*n*) otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Qui studiis vacant, tempus otio non absunt. *Const. p. 2. c. 7.*

(*a*) *PF. 79.* (*b*) *S. Ber.* (*c*) *S. Aug.* (*d*) *S. Hilar.*

Hilar. (e) S. Bern. Serm. 63. in Cant. (f) Idem.
 (g) S. Aug. (h) S. Greg. (i) Idem Ep. 32. (k) S.
 Augustin. (l) Idem. (m) S. Hier. (n) S. Bern.

XXIV. April.

IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS.

Quomodo in Christo manendum.

Mane.

PUNCTUM I.

Ego sum vitis, vos palmites. *Ioann.*
E 15. *Christus vitis non esset, nisi
 homo esset; homo palmae non esset, nisi
 Christianus esset.* Christianus (a) est,
 qui, & in domo sua peregrinum se a-
 gnoscit. Patria nostra sursum est: Ibi
 hospites non erimus. Christianus est,
 qui omnibus misericordiam facit, qui
 nulla movetur injuria, qui alienum do-
 lorem, tanquam proprium sentit. Tunc
 (b) veraciter fideles Christiani sumus, si
 quod verbis promittimus, operibus
 complemus. Ille, (c) apud Deum plus
 habet loci, qui plus attulerit; non auri,
 sed fidei. Dicamus (d) fidem vitem,
 virtu-

virtutes palmites, botrum opus, devotionem vinum. Temporis præteriti fructus est compunctio: futuri flos est devotio.

PUNCTUM II. Manete in me, & ego in vobis. *Ibidem.* Ut Christus in te, tu in Christo jugiter maneas; jugiter dilige. Dilectio (*e*) diversas voluntates conflat in unam, & glutino charitatis diversarum animarum consolidat unionem. Sola dilectio est, quam separatio corporalis non dividit, quam temporis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Qui (*f*) amori Christi amorem rependit, qui Jesum semper suspirat, qui incertum vitæ lubricæ occasum ob oculos perpetim habet, qui tremenda Dei judicia nunquam non formidat: *In Christo manet, & Christus in illo.* Qui Christum non amat, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est.

PUNCTUM III. Sine me nihil potestis facere. *Ibidem.* Nihil (*g*) boni operis facere poterit humana natura, sine Christi gratia. Christi gratia ad hoc datur:

ut

ut lex compleatur, ut natura liberetur,
 ut peccatum non dominetur. Sine no-
 bis operatur incipiens, volentibus co-
 operatur perficiens. Sine illa nihil ope-
 rante, ad bona opera nihil valemus.
 Ubique (*b*) Domini virtus studiis coope-
 ratur humanis: ut nemo possit ædificare
 sine Domino; nemo custodire sine Do-
 mino; nemo quidpiam incipere sine Deo.
 In (*i*) veritate didici, nihil æque efficax
 esse ad promerendam, retinendam, re-
 cuperandam gratiam: quam si omni tem-
 pore coram Deo inveniaris non altum
 sapere, sed timere.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Si quis in me non man-
 serit, mittetur foras sicut palmes, &
 arescet, & colligent eum, & in ignem
 mittent. *Ibidem.* Illa (*k*) ultrix flamma,
 vitiorum concremationem habet, lumen
 non habet. Quos illa gehennæ flamma
 devorat, a visione veri luminis cœcat.
 Foris eos dolor combustionis cruciat,
 intus pœna cœcitatis obscurat. Quate-
 nus, qui Authori suo corpore, & cor-
 de deliquerunt, simul corde, & corpo-

re puniantur. Ut utrobius pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque servierunt. Secundum modum criminis, unusquisque damnatus, inferni igne cruciabitur.

PUNCTUM II. Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. *Ibidem.* Negat (*l*) Dominus sæpe, quod petimus; ut tribuat. Pro certo, quod mallemus (*m*) non exaudiendum se supplicans sciat, cum se dubitaverit non exaudiri. *Ut oratio potens sit ad impetrandum, non debet esse timida, non temeraria, non præsumtuosa.* Timida (*n*) oratio cœlum non penetrat: quia restringit animum timor immoderatus. Tepida in ascensu languescit: eo, quod non habeat vigorem. Temeraria ascendit, sed resilit: resistitur enim ei; nec tantum non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ vero fidelis, humilis, fervens oratio fuerit, Cœlum sine dubio penetrabit.

(*a*) S. Aug. (*b*) S. Greg. (*c*) S. Aug. (*d*) S. Bern. (*e*) Raban. (*f*) S. Elig. Ep. (*g*) S. August. (*h*) S. Ambr. (*i*) S. Bern. (*k*) S. Greg. (*l*) S. Aug. (*m*) Cass. (*n*) S. Bern.

**IN FESTO SS. PHILIPPI, & JACOBI
APOSTOLORUM.**

In Cælis mansiones multæ.

Mane.

P U N C T U M I.

NON turbetur cor vestrum. *Ioan. 14.*
 Animum (*a*) mœrore oppressum,
 nihil perinde oblectare potest, ac Dei
 memoria. *Qui (b) Dei immemor vivit,*
aut adepta metuit, ne amittat; aut non ha-
bita concupiscit, ut habeat: in adversis pro-
spera, in prosperis formidat adversa. Sum-
 mæ (*c*) est amentiæ, in rebus incertis,
 certo jam se cruciatu conficere. Nimia
 (*f*) tristitia author peccati esse solet:
 cum mœror mentem submergat, consilii
 inopiam adferat, penuria cogitationis
 animum ingratum generet. Res adver-
 sæ animum, sicut ignis aurum probant.
 Qui recte sunt instituti, illis calamitates
 velut alimenta atque exercitationes sunt.
 Quem diligit Dominus, castigat.

PUNCTUM II. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Ibidem.* O beati (g) Servi Christi ! in ærumnis hujus vitæ, in afflictionibus , in laboribus pro Deo susceptis , hoc unum agite : conscendite cogitationibus , in palmam immarcescibilem , considerate pulchritudinem , & suavitatem cœlestis gloriæ: vagamini per pulcherrimas mansiones , quas Christus ait esse in Cœlis. Omne (h) opus leve solet fieri , quando ejus pretium cogitat. Spes præmii , solatium est laboris. Mala (i) præsentis vitæ tanto durius animus sensit; quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit. Quia non vult præmia considerare , quæ restant ; gravia æstimat esse , quæ tolerat.

PUNCTUM II. Accipiam vos ad me ipsum , ut ubi ego sum , & vos sitis. *Ibidem.* Bonis brevibus , (k) mala æterna; & malis brevibus bona æterna succedunt. Quanto satius est , pro perpetuis bonis, mala brevia perpeti; quam pro caducis bonis , mala perpetua sustinere? Si non despis , paciscere cum sensibus tuis: nega eis brevia solatia , ut assē-
quaris

*quaris æterna. Refrænans oculos, dicit
illis: O oculi mei! (l) diem vobis ne-
gari permittite. Claudamus has valvas,
quæ vix unquam sine periculo patent.
Nihil est in orbe terrarum, quod visu
dignum sit. Quidquid ostentat terra,
modicum est, & vile, & nihil ad Cœ-
lum. In Cœlo omnia magna, pulchra,
æterna sunt. Cum per urbem in-
cedis, memineris te Religiosum
esse; non Pictorem. B. P. N.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Ego sum via, veritas,
& vita. *Ibidem.* Ingrediamur (*m*) hanc
viam, teneamus veritatem, vitam sequa-
muri. Via est, quæ perducit: veritas,
quæ confirmat: vita, quæ redditur per-
severantibus. Sequemur (*n*) Domine
te, per te, propter te, ad te: quia tu
es via in exemplo, veritas in promisso,
vita in præmio. Sequemur te, (*o*) Do-
mine Jesu! sed, ut sequamur, accersi:
quia sine te nullus ascendit. Tu (*p*) es
via, per quam est eundum; veritas ad
quam veniendum; vita in qua perma-

nendum. Tu es via, sine errore; veritas sine falsitate; vita sine morte. Nemo venit ad Patrem, nisi per te.

PUNCTUM II. Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit. *Ibidem.* Ipse (*q*) Pater cœlestis per se satis placet, & sufficit. Sufficit ad meritum, sufficit ad præmium. Totum in illo invenitur, quidquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari. In illo clarificatur intellectus, in illo purgatur affectus: & hoc est unum, & summum hominis bonum, videre Patrem æternum creatorem suum. Quæ ergo te corripuit vesania, hujus mundi sequi imperium? vitæ labentis quærere infortunium? dæmonis ferre dominium? non videre solum, sed & possidere rerum pereuntium patrimonium? *O bone Jēsu! ostende nobis Patrem, & sufficit.*

- (*a*) S. Ifid. (*b*) ex S. Greg. (*c*) S. Chrysost.
- (*f*) S. Basil. (*g*) Tertull. (*h*) S. Hier. (*i*) S. Greg.
- (*k*) S. Ber. (*l*) Sylvan. Abb. (*m*) S. Amb. (*n*) S. Bern.
- (*o*) S. Ambr. (*p*) S. Bern. (*q*) Idem.

III. Maji.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Exaltatio Christi in Cruce.

Mane.

PUNCTUM I.

ERAT homo ex Phariseis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum. Hic venit ad JESUM nocte. *Ioan. 3.* Dignum est, ut Princeps Judæorum, veniat ad Regem Judæorum. Regiam dignitatem, quam in deserto per vim deferentibus populis fuga declinavit Christus; tandem in amarissima passione sua, corona spinea, sceptro arundineo, obsoletæ purpuræ paludamento, & throni vice, infami crucis patibulo emeruit. Ad hunc Cœli, terræque Regem noctu venit Nicodemus. Et quid mirum, si lucem mundi in tenebris invenit? O Regem! (a) o diadema! pudeat gloriari sectari membra, quibus caput tam ignominiosum exhibetur. Pudeat, sub spinoso capite membrum fieri delicatum.

PUNCTUM II. Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister. *Ibidem.* Ut *idoneus Institutio nostro Magister efficiare*, si proverbio credis, (*b*) quam diu vivas, etiam seni tibi discendum est. Mutuo ista fiunt: homines dum docent, discunt. Qui (*c*) diligenter inspicere velit, quid antiqui propter amorem sapientiae pertulerint; quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alii calcabant honores, alii projecerunt dignitas, alii acceptis injuriis gaudebant, alii ultimos recessus, & secreta eremi penetrarunt. Hic (*d*) decorum est, terminum non habere: hic honesta probatur ambitio, cuius etiam nimetas placet. **Religiosum scientia ornat; sed virtus coronat.** *B. P. N.*

PUNCTUM III. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei. *Ibidem.* *Cogita, (e) quid ageres, vel potius quid non ageres, si dum ad ultimam senectutem veneris, nanciscerere medicum, qui decrepitam ætatem tuam, ad primum adolescentiae florem revocare sciret, & vellet?*
quod

quod tunc ageres gratia corporis tandem morituri : cur id negas animæ æternum vi-
cturæ ? O duritiem cordis nostri ! magis animas nostras , quam corpora , magis (f)
nos ipsos , quam servos vilipendimus . Servis ægrotantibus , medicos convoca-
mus , medicinæ legibus parere impelli-
mus : quas , si negligant , irascimur ,
& custodes apponimus , qui eos ex me-
dicorum præceptis cogant vivere ; quan-
do vero nos ipsi in anima ægrotamus ,
nil minus , quam medicos , quam medi-
cinas meditamur .

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto , ita exaltari oportet Filium hominis. *Ibidem.* Circuire (g) possum Domine Cœlum , & terram , & nusquam te inveniam , nisi in Cruce . Ibi dormis , ibi pascis , ibi cubas in meridie . Crux tua operosa fides est : cuius latitudo charitas , longitudo longanimitas , altitudo spes , profundum timor . In hac Cruce te exaltatum invenit , cuicunque invenit . Scio dulcissime JEsu ! quod Crux tua , non ad

impotentiæ, sed ad patientiæ documentum suscepta est. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in Crucce. Tollam ergo crucem meam, & sequar te mi JEsu !

PUNCTUM II. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat. *Ibidem.* Si (b) ad ærei serpentis simulacrum aspicientes Judæi a morte liberabantur : quanto majori, qui in Christum credunt, beneficio fruentur ? illic mortem fugerunt Judæi temporalem : hic fideles sempiternam. Illic iætus serpentum, suspensus serpens sanavit : hic incorporei serpentis plagas, JEsus Crucis affixus curavit. Illic corporeis oculis suspicientes, corporis salutem ; hic incorporeis, omnium peccatorum remissionem consecuti sunt. O bone Jesu ! (i) mori nos debuimus, & tu solvis ? Nos peccavimus, & tu luis ? O opus sine exemplo ! gratia sine merito ! charitas sine modo !

(a) S. Bern. (b) Seneca. (c) Hugo. (d) Cass. (e) ex Anonym. (f) S. Chrys. (g) S. Bern.
(b) S. Chrysost. (i) S. Bern.

VI. Maii.

S. JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM.
Vide 25 Julii.

VIII. Maii.

APPARITIO S. MICHAELIS ARCHANGELI.
Vide 29. Septembr.

XVI. Maii.

FESTUM S. JOANNIS NEPOMUCENI.
Vide Dominica II. Adventus.

XI. Junii.

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.
Missio Apostolorum.

Mane.

PUNCTUM I.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. *Matth.* 10. Erubescant, (*a*) qui quasi lupi adversarios suos persequuntur. Certe quousque sumus oves, facile hostes vincimus; cum vero in naturam luporum transimus, superramur: tunc enim nullum nobis a Pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oves pascit. Multi (*b*) cum regiminis jura

jura suscipiunt ad lacerandos subditos in-
ardescunt: terrorem potestatis exhibent,
Domini videri appetunt, Patres se esse
minime cognoscunt, humilitatis Iocum
in elatione dominationis immutant, & si
quando extrinsecus blandiuntur, intrin-
secus fæviunt. *Sensum ergo servantes*
innocentiæ, morsum malitiæ non habeam-
mus: non lupi, sed oves simus.

PUNCTUM II. Estote ergo prudentes.
Ibidem. Si (*c*) prudens est animus tuus,
tribus temporibus dispensetur. Præsen-
tia ordina; futura prævide; præterita re-
cordare. Qui nil de præterito cogitat,
vitam perdit. Qui nihil de futuro præ-
meditatur, in omnia incautus incidit.
Si prudens esse cupis, in futura prospe-
ctum intende, & quæ possunt contingere,
animo tuo cuncta propone. Ni-
hil tibi subitum sit; sed totum ante pro-
spicias. Qui providus est, non dicit:
Non putavi hoc fieri: quia non dubitat,
sed expectat; non suspicatur, sed cavet.
Quid (*d*) prudentis opus est? posse, &
nolle nocere. Quid stulti proprium?
non posse, & velle nocere. Quænam
sum-

summa boni mens? quæ sibi conscientia recti. Melius (*e*) est præcavere, quam pavere.

PUNCTUM III. Et simplices. *Ibidem.* Nihil (*f*) simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet quasi artem quandam simplicitatem suam: nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra, mens prava semper in laboribus est: quia enim molitur mala, quæ inferat; metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur. Habe (*g*) simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; & astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis. Simplex (*h*) eris, si te mundo non implicaveris. (*i*) Prudentia absque simplicitate malitia est: simplicitas absque ratione, stultitia nominatur.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. *Ibidem.* Mensem (*k*) non interpellari cogitationibus, impossibile est: suscipere vero eas, sive respuere, omni studenti per gratiam Dei

Dei possibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimode pendet a nobis: ita reprobatio , vel electio consistit in nobis. Peccata (*l*) operis tanto citius cognoscuntur , quanto exterius videntur. Peccata cogitationis eo ad intelligendum sunt difficilia, quo invisibiliter perpetrantur. Tanto latius cogitationes defluunt , quanto se esse securius aestimant: quia foris a reprehensoribus non videntur. Cogitationes (*m*) vagas, & inutiles, & velut somno similes non recipias : quibus, si animum tuum oblectaveris , quum omnia disposueris , tristis remanebis.

PUNCTUM II. Dabitur enim vobis in illa hora , quid loquamini. *Ibidem*. Multi (*n*) student plus alta , quam apta proferre. In (*o*) ludo litterarum positis, non tam placent solida , quam picta: qui, potius pulchra , quam utilia sectantur ; nec tam agentia diligunt , quam sonantia. Magis gaudent foliorum amoenitate conspergi , quam fructuum ubertate nutriri. O! quanti (*p*) veritatem querunt non in veritate; sed in vanita-

te quæsitam inveniunt: non ad veritatem, sed ad vanitatem; & quod miserium est, in verbis vitæ, lucra mortis negotiantur. Quid (*q*) mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo unquam, nisi cum disputat, captus est? Res fallunt, illas discerne. Non multum tibi nocebit ista transire, quæ nec licet scire, nec prodest.

(*a*) S. Chrysost. apud Cornel. (*b*) S. Gregor.
 (*c*) Sen. (*d*) S. Augustin. (*e*) Sen. (*f*) S. Greg.
 in moral. (*g*) S. Hier. ad Rust. Monach. (*b*) S. Au-
 gustin. (*i*) S. Hier. super Oseam. (*k*) Cast. in coll.
 PP. (*l*) S. Greg. l. II. Mor. (*m*) Sen. (*n*) S.
 Bernar. (*o*) S. Chrysost. (*p*) Richard de S. Victore.
 (*q*) Sen.

XXIV. Junii.

IN FESTO NATIVITATIS S. JOAN-
NIS BAPTISTÆ.*Gaudium ex Ejus Nativitate.*

. Mane.

PUNCTUM I.

E Lisabeth impletum est tempus pa-
 riendi, & peperit filium. *Luc.* i.
 Ortus (*a*) Justi, plenitudinem habet;
 pecca-

peccatoris Nativitas vacuitatem, & inanitatem. In scriptura nunquam dicitur in ortu peccatoris: completum est tempus, ut pareret; sed ubique justus nascitur, ibi complentur dies. *Utinam tandem compleantur dies, quibus pia proposita, quæ dudum mente concepisti, lucem aspiciant!* Noli dicere, cras me convertam: (b) cras, omnia hesterna, & ho- dierna peccata remittentur mihi. Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ cunctum non promisit.

PUNCTUM II. Et audierunt vicini, & cognati ejus, & congratulabantur ei. *Ibidem.* Exultant semper in Domino Christiani (c) & lætantur, & gaudent in Deo suo, & mala, atque adversa mundi, fortiter sustinent; dum dona, & prospera futura prospectant. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia. Absit (d) Domine, absit a corde servi tui, qui confitetur tibi: absit, ut quocunque gaudio gaudem, beatum me putem; est gaudium, quod

quod non datur impiis , sed iis , qui te gratis colunt : quorum gaudium tu ipse es : & ipsa est beata vita gaudere ad te, de te , propter te.

PUNCTUM III. Et vocabant eum nomine Patris sui. *Ibidem.* Quid (*e*) prodest ei , quem sordidant mores , generatio clara ? Quid nocet ei generatio vilis , quem mores adornant ? Ipse se vacuum ab omnibus bonis ostendit , qui gloriatur in Patribus. Melius est de contemptibili genere clarum fieri , quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui de claro genere clarus nascitur , gloria claritudinis ejus , non est ejus solius ; sed communis videtur : qui de contemptibili genere clarus egreditur , tota gloria claritudinis ejus , ejus solius est.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et respondens Mater ejus dixit : nequaquam , sed vocabitur Joannes. *Ibidem.* *Joannes* gratiam significat : fuit enim gratiae prænuncius : fuit (*f*) maximus inter natos mulierum , par Angelis , tuba cœli , præco Christi ,

signifer superni Regis , peccatorum ve-
nia , Judæorum correctio , gentium vo-
catio . Gratia (g) in tribus consistit
præcipue : in odio præteritorum scele-
rum ; in contemtu præsentium bono-
rum ; in desiderio futurorum . Gratiam
hanc suam gratis tibi dedit Deus : igi-
tur gratis ama Deum . Noli ad præ-
mium diligere Deum : ipse fit præmium
tuum .

PUNCTUM II. Et innuebant Patri ejus,
quem vellet vocari eum . *Ibidem* . Quia
(h) incredulitas & affatum ei eripuit ,
& auditum , nutu interrogatur . Aper-
tum est autem illico os ejus . Et meri-
to , continuo resoluta est lingua ejus :
quia quam vinixerat incredulitas , fides
solvit ; sed & auditus , sicut pariter fue-
rat ablatus , pariter est resolutus . Quia
enim Zacharias Angelo non obedierat ,
condemnatus erat , ut surdus sit : &
quia contradixerat , ut fileat . Si pro
quavis inobedientia novem menses surdesce-
re , & pro contradictione mutum te esse opor-
teret ; quando loquereris ? quando audi-
res ?

- (a) Orig. (b) S. Augustin. (c) S. Cyprian.
 (d) S. August. (e) S. Chrysost. (f) S. Aug. (g)
 S. Bernar. (b) S. Ambros.

XXVII. Junii.

IN FESTO S. LADISLAI REGIS HUNGARIÆ.

*Parabola Servorum expectantium
Dominum suum.*

Mane.

PUNCTUM. I.

SINT lumbi vestri præcincti. *Luc. 12.*
 Lumbos (*a*) præcingere , est omnes appetitus , & affectus circa res seculi contrahere , & mortificare. Beatus (*b*) qui post ea desideria non abiit, quæ posseffa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Integra (*c*) abdicatio sollicitudinum seculi , est iter ad Deum sine impedimento : expulsio omnis tristitiae , fundamentum pacis , munditia vitæ. Quid prodest corpore esse in clauistro , mente in seculo ? vanitates , & divitias deseruisse situ , & loci mutatione ; retinere affectu , desiderio , &

cupiditate? Bonus Religiosus spernit mundum, & gaudet se sperni a mundo. *B. P. N.*

PUNCTUM II. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. *Ibidem.* In (*d*) lucernis ardentibus, boni fulgor operis indicatur. Qui (*e*) in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est; qui vero lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est: quia & sibi ardet, & aliis lucet. Sancta (*f*) rusticitas solum sibi prodest. Validiora sunt opera, quam verba. Accusare vitia & latro potest. Unusquisque Clericus (*g*) sic vivat, ut exemplum vitae secularibus præbeat: ne, si quid in illo reprehenditur ex ejus officio, ipsa Religionis nostræ aestimatio gravetur. *S. Greg.* Dum agendum erit Magistris cum discipulis in scholis, seu oratorio, modestiam & omnium virtutum specimen illis exhibeant. *Const. p. 2. c. 3.*

PUNCTUM III. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. *Ibi-*

Ibidem. Nescis (*b*) qua hora venit ? semper vigila : ut quod nescis , quando veniat ; paratum te inveniat , quum ve- nerit . Ad hoc nescis , quando veniat , ut semper paratus sis . Latet ultimus dies , ut observentur omnes dies . Se- ro parantur remedia , quum mortis im- minent pericula . Satis alienus a fide est , (*i*) qui ad agendam pœnitentiam tempora sene^ctutis expectat . Metuen- dum est , ne , dum sperat misericordiam , incidat in Justitiam . Nihil (*k*) prode- rit anxietas illa , tunc incipientibus be- ne agere , cum tempus bene agendi concluditur . Pœnitentia , quæ a de- crepito agitur , metuo , ne & ipsa de- crepita sit ; quæ ab infirmo , ne & ipsa infirma sit ; quæ a moribundo , ne & ipsa mortua sit .

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Beati sunt servi illi , quos , cum venerit Dominus , invenerit vigi- lantes . *Ibidem.* Non potest (*l*) male mori , qui bene vixerit . Vix bene mori- tur , qui male vixit . Bona (*m*) mors justorum propter requiem , melior pro-

pter novitatem, optima propter securitatem. E contra, mors peccatorum pessima. Mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis, & ignis dupli contritione. Miser homo, quare omni hora te non disponis? memorare mortis tuae horrorem, judicii tremendi discrimen, ardoris gehennæ metum ab oculis tui cordis elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuae miseriam: recogita annos tuos in amaritudine animæ tuae. Si in hujusmodi cogitatione perseveraveris, eris in numero Beatorum, quos, cum venerit Dominus, inveniet vigilantes.

PUNCTUM II. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbe-re, & transiens ministrabit illis. *Ibidem.* Accubationem (*n*) quietem esse censemus multorum laborum: vitam tutam, Divinum vivendi genus in lumine ac re-gione vivorum, plenum omnis sanctæ voluptatis. Longam item omnis generis bonorum suppeditationem; per quam omni gaudio complentur a JESU eos ex-hi-

hilarante, & in mensa collocante, eisque ministrante, & æternam quietem largiente. *Cœlestē gaudium tam suave, tam magnum, tam incomprehensibile est :* quod illud (o) nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendet, quia cor hominis debet illuc ascendere. Effugit omnem sensum humanæ mentis (p) decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia.

(a) S. Aug. (b) S. Bern. (c) S. Clim. (d)
Cœlest. P. (e) S. Greg. (f) S. Hier. (g) S. Greg.
(h) S. Aug. (i) S. Greg. (k) Auth. Imperf. (l)
S. Aug. (m) S. Bern. (n) S. Dionys. Areop. (o)
S. August. (p) S. Chrysost.

XXIX. Junii.

IN FESTO SS. PETRI, ET PAULI
APOSTOLORUM.

*Petrus Christum, Filium Dei Vi-
vi confitetur.*

Mane.

PUNCTUM I.

Quem dicunt homines esse Filium ho-
minis? *Matth. 16.* Quis est (a)
Y 4 ho-

hominum sic cautus , ut si inter æmulos loquatur , nullum ejus verbum incurrat aliquam quæstionem ? Difficilis res est , linguam in lubrico faucium constitutam veritatis tenere mensuram . Nunquam (*b*) tacet , quem morbus loquendi tenet . Sapiens sermones suos præcogitat , & examinat prius in pectore , quam proferat ore . Qui sunt leves , & faciles , & importuni locutores , nullo rerum pondere innixi , verbis tumidis , & laxantibus , bene se dicere existimant . Imago animi (*c*) sermo est . Sermonem maximo temperamento cum loquente dispensa : in quo patitur aut extraneus verecundiam , aut familiaris calumniam , aut peritus infamiam . **Lingua Religiosi , mentis , cordisque tuba.**

B. P. N.

PUNCTUM II. At illi dixerunt : alii Joannem Baptistam , alii autem Eliam , alii autem Jeremiam , aut unum ex Prophetis . *Ibidem . Vitæ sanctitudo hanc gloriam , hos titulos Domino comparavit . Virtus (*d*) mater gloriæ est ; Fallax gratia ,*

tia, & vana est pulchritudo, quam virtus non genuit. *O felix! o beata innocentia!* Gaude (*e*) de innocentia, & exulta. Gaude, quia ubique illæsa est, ubique secura. Si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis. Tu in servitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta. Te potentes honorant, suscipiunt Principes, Magnates exquirunt, & illi nonnunquam desiderant, qui impugnant. Sed quis est innocens? (*f*) qui cum aliis non nocet, nec sibi nocet. *S. Aug.*

PUNCTUM III. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. *Ibidem.* Convenitur hic conscientia tua, o *Anima mea!* Profiteris Christi Divinitatem? qua igitur fronte mandata ejus transgrederis? Qui credit Deo, attendit mandata ejus. *Eccl. 32.* Agnoscis Salvatorem? cur ergo media negligis ad salutem? Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat: nunquid fides poterit salvare eum? *Jacobi 2.* Credis Dominum? quare itaque jugum servitutis ejus excutis?

Servus qui cognovit voluntatem Domini sui , & non facit , vapulabit multis.
Lucæ 12. Dignus (g) sane est morte , qui tibi Christe recusat vivere : & qui tibi non sapit , disipit : & qui curat esse , nisi propter te ; pro nihilo est , & nihil est.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon , Bar-Jona. *Ibidem.* Beatitudo vera non est (h) de cuius æternitate dubitatur. Beatitudo (i) hujus vitæ , sita est in Christianæ sapientiæ altitudine , in conscientiæ suavitate , in virtutis sublimitate. Non , sine (k) passionibus esse ; sed victorem passionum esse , beatum est. Beati immaculati in via. Si vis esse beatus , esto immaculatus. Ama , quod amandum est : ut possessione rei concupitæ beeris. Multi miseri sunt assequendo , quod male amaverunt. Beatus est , (l) de cuius culmine amicis datur lætitia , lividis pœna , posteris gloria , pigris incitamentum.

PUNCTUM II. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus , & super hanc Petram ædi-

ficabo Ecclesiam meam. *Ibidem.* *Petra fortitudinis, & perseverantiae symbolum est.* Non laudantur in Religiosis initia; sed finis, & perseverantia. Non est (*m*) magnum inchoare, quod bonum est; sed consummare perfectum est. Incassum (*n*) bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur. Incassum velociter currit, qui priusquam ad metam venerit, deficit. Turpe (*o*) est cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepisti: Non est vir fortis, ac strenuus, qui laborem fugit. **Coronam in Religione labor præcedit, & pugna. Beat. P. N.**

(*a*) Cass. (*b*) Aul. Gel. I. 8. (*c*) Sen. (*d*) S. Bern. (*e*) S. Chrysoft. (*f*) S. August. (*g*) S. Bern. (*h*) S. Aug. . (*i*) S. Ambr. (*k*) S. Aug. (*l*) Cass. (*m*) S. Aug. (*n*) S. Gregor. (*o*) Sen.

II. *Julii.***IN FESTO VISITATIONIS B. V. M.
Fructus Visitationis Marianæ.****Mane.****PUNCTUM I.**

Exurgens Maria abiit in montana
cum

cum festinatione. *Luc. i.* Studium subveniendi proximis fecit, ut modestissima Virgini, abiret cum festinatione in Montana. Si tanta alacritate, adhuc in carne mortali posita succurrit non potentibus; quid faciet glorificata devote se invocantibus? Certe (*a*) Domina cum te aspicio, nihil nisi misericordiam invenio. Tu promiseris facta es Mater misericordiae; nec aliud appetere videris, quam ut miserrorum miserearis. Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te o Virgo Sanctissima! Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, o Castissima! Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, o honestissima!

PUNCTUM II. Et intravit in Domum Zachariæ & salutavit Elisabeth. *Ibidem.* Supersunt, prob dolor! non pauci, qui (*b*) primas salutationes amant, non solum in tempore, ut eos primos salutemus; sed etiam in voce, ut clamantes dicamus: Ave Rabbi! & in corpore: ut flexis capitibus illis incurvemur. Non sic Maria. Prævenit (*c*) salutationem cognatæ, Mater Deitatis Incarnatæ: & ita facta est Ma-

*gistra humilitatis, Mater tantæ Majestatis,
& castitatis.* Decet enim, ut quanto ca-
stior Virgo, tanto sit humilior: noverit de-
ferre senioribus. *Casta humilitas, Mariana
virtus, non potest non esse Mariæ gratissima.
Felix es, si hanc in te Deipara inveniat.* Salu-
tem (*d*) tibi dabit ante mortem, in morte,
post mortem. Ante mortem, dum te in
laboribus benedicet, & recreabit; in mor-
te, dum ab inimicis proteget, & liberabit;
post mortem, dum a piacularibus incendiis
eripiet, & in Cœlum ducet.

PUNCTUM III. Et factum est, ut au-
divit salutationem Mariæ Elisabeth, exult-
avit infans in utero ejus. *Ibidem.* Chri-
stus (*e*) locutus est per os Matris suæ;
Joannes autem audivit per aures matris
suæ: & mox cognito Domino, sua exul-
tatione eum prædicavit. *Tantum interest
accessum habere ad Iesum per Mariam.*
Virgo (*f*) Regia ipsa est via, per quam
Salvator advenit, procedens de ipsius
utero, tanquam Sponsus de thalamo
suo. Per te accessum habeamus ad Fi-
lium, O benedicta! inventrix gratiæ,
genitrix vitæ, Mater salutis! Per te
nos

nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis: & humilitas Deo grata, nostræ veniam impetrat vanitati. Copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et repleta est Elisabeth Spiritu Sancto, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres. *Ibidem.* Vere (g) uenedita, quæ attulit Cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. O Benedicta (h) & inclita Regum progenies, Sacerdotum decus, Patriarcharum gloria, Cœlitum triumphus, inferorum formido, Christianorum spes, & solatium: tu Divinitati proxima es; ne ibi nobis deesses. Certa est fiducia tua. Pronus tuis advolvor pedibus: serva animalam hanc, quæ se tibi, quanta est, nuncupavit.

PUNCTUM II. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. *Ibidem.* De-

vota Matris Dei humilitas (*i*) nil sibi
passa retinere, in eum universa refudit,
cujus in se beneficia laudabantur. Tu,
inquit, magnificas Matrem Domini;
sed magnificat anima mea Dominum.
In voce mea, Filium perhibes exultasse
in gaudio; sed exultavit Spiritus meus
in Deo salutari suo. Beatam esse di-
eis, quæ credidi; sed credulitatis, &
beatitudinis caussa, respectus est super-
næ pietatis: Ut ex hoc magis beatam
me dicant omnes generationes: quia
Ancillam humilem respexit Deus. *Re-*
spice & me misericordiae tuæ oculis O Ma-
ria! Fateor, fateor O Mater misericor-
diarum! sicut (*k*) a te despectus, &
aversus, necesse est, quod pereat; sic
ad te reversus, & a te respectus, im-
possibile est, quod pereat. Hæc mea
maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.
S. Bern.

(*a*) S. Bern. (*b*) S. Chrysostom. (*c*) Ex
S. Ambros. (*d*) S. Bernar. (*e*) Euthym. (*f*) S.
Bern. (*g*) S. Petr. Chrysol. (*h*) Erasm. in Orat.
ad Virg. Lauret. (*i*) S. Bernard. in Apocal. (*k*)
Idem.

XXII. Julii.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.
Publica Ejusdem Pœnitentia.

Mane.

P U N C T U M I.

ROgabat JEsum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo. *Lucæ* 7. Accubuit (*a*) Christus non pocula saporata sumturus; sed pœnitentis lachrymas, ex ipsis oculorum fontibus bibiturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum. In (*b*) pœnitentium lachrymis latet sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, redeuntis innocentiaæ sanitas, conscientiaæ suavitas serenata. Lachrymæ veniam non postulant; sed obtinent. Unius (*c*) cujusque mens, tantum pœnitendo, compunctionis suæ bibat lachrymas; quantum se a Deo amisisse meminit per culpas.

PUNCTUM II. Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix. *Ibidem.* Criminosior (*d*) culpa est, ubi honestior status. Major injuria irrogatur Dei bo-

ni-

nitati a Religiosis delinquentibus, quam a secularibus. Crescit delicti gravitas juxta mensuram acceptarum a Deo gratiarum. Nemo (*e*) amplius in Ecclesia nocet; quam, qui perverse agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Monstrosa (*f*) plane res est: gradus summus, & animus imus; sedes prima, & vita infima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis.

PUNCTUM III. Ut cognovit, quod accubuisse in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti. *Ibidem.* Cogitanti (*g*) mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis lubet, quam aliquid dicere. Cujus vel faxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit quid fecit; & noluit moderari, quid faceret? Super Convivantes ingressa est, non iussa venit, inter epulantes lachrymas obtulit. Discite, quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubescit? *Deus meus, & omnia!* Si hic (*b*) peccati pudorem, & illic cernerem in-

ferni horrorem ; & necessario uni eorum deberem immergi : prius me in infernum mergerem , quam peccatum in me immitterem. S. Ansel.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et stans retro secus pedes ejus , lachrymis cepit rigare pedes ejus. *Ibidem. Cor contritum elicuit lachrymas ; fides lavit pedes ; charitas unxit. Omnia instrumenta peccati , vertit in instrumenta virtutis.* Oculis (*i*) terrena concupierat ; sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat ; sed jam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat ; sed pedes Domini osculans , hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot in se habuit oblectamenta ; tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum , numerum criminum : Ut totum serviret Deo in pœnitentia , quidquid ex se Deum contemserat in culpa.

PUNCTUM II. Dixit autem ad illam ; remittuntur tibi peccata tua. *Ibidem.* O inenarrabilis bonitas Salvatoris ! vere misericordiae ejus super omnia opera ejus. O mira , & excellens virtus confessionis ! O homo (k) quid times confiteri ? illud , quod per confessionem scio , minus scio , quam illud , quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua ? peccator sum , sicut & tu : homo sum ; humani nihil alienum a me confiteor. Homo homini , homo peccator , homini peccatori : elige quod vis : Si non confessus lates , inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem , ut liberet hominem humilem ; ad hoc damnat non confidentem , ut puniat superbum. Si (l) sufficeret confessio cordis ; non creasset tibi Deus os. *S. Chrysostom.*

(a) *S. Chrysost. Serm. 39.* (b) *S. Bern. Serm. 30. in Cant.* (c) *S. Gregor.* (d) *Salvian.* (e) *S. Gregor.* (f) *S. Bern.* (g) *S. Gregor. homil. 33,* (h) *S. Ansel. de simil. c. 190.* (i) *S. Gregor.* (k) *S. Augustin. super ps.* (l) *S. Chrysost.*

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Petitio Filiorum Zebedæi.

Mane.

PUNCTUM I.

Accepit ad JEsum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo. *Mattb. 20.* O ambitio! (*a*) ambientium crux, quomodo fere omnes torques? fere omnibus places? nil acrius cruciat, nil molestius inquietat; nil tamen apud miseros mortales crebrius negotiis ejus. Potestatis ambitio, Angelum felicitate angelica privavit. Scientiæ appetitus, hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat; non mandatorum destituerat oblivio; sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Multi non tanta alacritate current ad honores, si se sentirent onere gravari. Nunc, quia sola attenditur gloria, & non pœna; purum esse Clericum, erubescitur in Ecclesia.

PUN-

PUNCTUM II. Respondens autem JESUS dixit : nescitis , quid petatis. *Ibidem.* Nesciunt , quid petant , (b) qui sedem gloriæ a Domino , quam nondum merebantur , inquirunt. Non est (c) parum scire quod nescias. Frustra sibi de ignorantia blandiuntur , qui ut liberius peccent , libenter ignorant. Multa scienda nesciuntur : aut sciendi incuria , aut discendi desidia , aut inquirendi verecundia ; & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. Quod (d) in juventute non discitur , in matura ætate nescitur. Debent (e) homines viaticum senectutis , litterarum eruditione parare : discendo : litteras tanquam baculum infirmo corpori reperitas esse ; & eundem esse finem discendi , & vivendi.

PUNCTUM III. Potestis bibere calicem quem ego biberus sum ? *Ibidem.* Si juvante (f) nos Domino virtutem pœnitentiæ servare contendimus ; martyrii palmam adipiscimur. Habet & pax nostra martyrium. Duo sunt martyrii genera : unum in publico ; aliud in

mente , & actione. Egestas (g) tolerata propter Christum , facit martyrium. Quod (h) martyrium gravius est , quam inter epulas esurire ? inter vestes multas pretiosas algere ? paupertate premi inter divitias ? quas offert mundus , quas ostentat malignus , quas desiderat noster appetitus. Pauperibus , & Martyribus pariter Regnum Cœlorum promittitur.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Dicunt ei : possumus. *Ibidem. Possimus, id est : volumus, desideramus, acceptamus.* Nihil offertur (i) Deo ditius bona voluntate. Voluntas bona est : sic proximi adversa , sicut nostra pertimescere : sic de prosperitate proximi , sicut de nostro profectu gratulari : aliena damna nostra credere ; aliena lucra nostra deputare : Amicum non propter mundum , sed propter Deum diligere ; inimicum etiam amando tolerare : nulli , quod pati non vis , facere , & quod tibi juste impleri desideras , denegare : necessitati proximi juxta vires occurrere ; sed prodeesse ,

&

& ultra vires velle. Quidquid vis (*k*)
 & non potes, actum Deus computat.
 Nulla laus est non facere, quod facere
 non possis. *Sen.*

PUNCTUM II. Ait illis : Calicem qui-
 dem meum bibetis. *Ibidem.* Super (*D*)
 omnia te mihi amabilem reddit, O bo-
 ne JESU ! calix, quem bibisti. Hic
 amorem meum sibi vendicat, devotio-
 nem allicit, appetitum exacuit. Nemo
 a doloribus tuis debet esse alienus, ne-
 mo extraneus, qui cupit de calice vi-
 tæ æternæ degustare. Si (*m*) Passio
 Redemptoris ad memoriam reducitur, ni-
 hil tam durum est, quod non æquo
 animo toleratur. Parva toleramus, si
 recordemur, quid biberit ad patibulum,
 qui nos invitat ad Cœlum. Ille oppro-
 bria, irrisiones, spineam coronam, cru-
 cemque sustinuit ; & nos miseri ad no-
 stram confusionem uno sermone fatiga-
 mur ? uno verbo dejicimur ? Tolerasse,
 & odisse (*n*) non est virtus mansuetu-
 dinis ; sed velamentum furoris.

(*a*) S. Bernar. (*b*) V. Beda. (*c*) S. Bern.
 (*d*) Cass. (*e*) Seneca. (*f*) S. Gregor. (*g*) S.

Chrysost. (b) S. Bernar. (i) S. Gregor. homil. super Evang. (k) S. August. (l) S. Bern. (m) S. Isidor. (n) S. Gregor.

XXVI. Julii.

IN FESTO S. ANNÆ MATRIS B. MARIÆ V.

*Regnum Cælorum, thesauro, sa-
genæ, & margaritæ assimilatur.*

Mane.

PUNCTUM I.

Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito in agro. Matth. 13. In thesauro abscondito, vocationis tuæ gratiam, & pretium status Religiosi æstimare disce. Ejus unius tanta est vis, dignitas, æstimatione: ut (a) illius cognitionem Deus, consulto occultaverit hominibus: ne, si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad Religiosas Congregationes confugarent. Abundans (b) est pauperi Religio, mediocri sufficiens, tolerabilis dediti; infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata; pœnitentiis misericors, perversis severa, bonis

op-

optima. Hæc sunt beneficia Religio-
nis. Latro est, (c) & domum Dei
convertit in speluncam latronum, qui
lucra de Religione sectatur. *S. Hier.*

PUNCTUM II. Iterum simile est Re-
gnum Cœlorum homini negotiatori quæ-
renti bonas Margaritas. *Ibidem.* Char-
itas (d) est Margarita pretiosa, sine qua
nihil tibi prodest, quidcunque habueris:
quam si solam habeas, sufficit tibi. Non
discernuntur Filii Dei, & Filii diaboli,
nisi charitate. Qui habent charitatem,
nati sunt ex Deo; qui non habent cha-
ritatem, non sunt ex Deo. Non memi-
ni (e) me legisse mala morte mortuum,
qui libenter opera charitatis exercuit.
Habet multos intercessores: & impossi-
bile est multorum preces non exaudiri.

PUNCTUM III. Iterum simile est Re-
gnum Cœlorum sagenæ missæ in mare.
Ibidem. *Jam in sagena Religiosæ Professio-*
nis captus attineris. Cave banc piscium
consuetudinem: quorum plerique, dum extra
sagenam sunt, eam ingredi gestiunt; vix
vero ingressi, ad pristinam libertatem aspi-
rant. Quia (f) jam vovisti, jam te
Z 5 ad-

adstrinxisti; aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris, quod voluisti; qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor tunc esse, non pejor. Modo autem, quod absit, miserior, si Deo fidem fregeris; quanto beatior, si persolveris. Juste (*g*) exigitur ad persolvendum; qui non cogitur ad voven-
dum.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Sic erit in consummatione seculi, exhibunt Angeli, & separabunt malos, de medio iustorum. *Ibidem.* Simplices, (*b*) & indocti regnum Cœlorum rapiunt, & nos, cum litteris nostris ad infernum descendimus. Manet (*i*) spectator desuper cunctorum præscius Deus, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Aversamini vitia, virtutes collite, ad rectas spes animum sublivate, humiles preces in excelso porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas imposta probitatis: quum ante oculos Judicis agitis cuncta cernen-
tis. *Boet.*

PUNCTUM II. Ideo omnis scriba doctus, similis est Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. *Ibidem.* Non est magni (*k*) meriti, quod foris circa nos agitur in corpore; sed magis pensandum est, quid agatur in mente. Præsentem mundum despicere, transitoria non amare, contra illatas calumnias patientiam servare, & custodita patientia dolorem malitiaæ a corde repellere; de morte inimici non gaudere; nova creatura est. Bene (*l*) moderatrix rerum antiquitas consideravit, ut laboris sui pretia recipient, qui publicis utilitatibus obsecundant. Junioribus conceditur spes laboris; dum reddita fuerit vicissitudo veteranis. Sicut æquum est desidiosis laborantium præmia dengare: ita convenit operantibus remunerationis optata concedere. Furtum facit, qui in Religione sine fructu vivit. *B. P. N.*

(*a*) S. Laur. Just. (*b*) Hugo. (*c*) S. Hieron.
 (*d*) S. Aug. (*e*) S. Hier. (*f*) S. Aug. in Ep. ad Armentar. (*g*) S. Bern. (*h*) S. Aug. (*i*) Boet. de Cons. I. 5. (*k*) S. Greg. (*l*) Cass.

VI. Augusti.

FESTUM TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

Vide Dominica II. Quadragesimæ.

X. Augusti.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS

Animæ nostræ amor, & odium.

Mane.

PUNCTUM I.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ioan. 12.* In oculis (*a*) DEI majoris meriti est saepe mortificari; quam semel mori. Non est corpus occidendum; sed vitia corporis. Hoc (*b*) est opus nostrum in hac vita: actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere. *Adeo per-*
versa est vitiorum indoles, quod (*c*) putata repullulent; effugata redeant; sopita extentur; mortificata reviviscant. Parum est semel ea superasse, viciisse, mortificasse; saepe cohibenda sunt, immo semper: quia semper in te ipso invenies,
 quod

quod oportet superari, evelli, eradicari:
Ut ita passione eradicata altius in men-
te virtus imprimatur. *Const. p. I. c. 11.*

PUNCTUM II. Si autem mortuum fue-
rit, multum fructum adfert. *Ibidem.* In
(d) hoc mundo cum nostris temptationi-
bus nascimur. Caro nobis aliquando ad-
jutrix est in bono opere; aliquando au-
tem seductrix in malo. Si ei plus, quam
debemus, tribuimus; hostem nutrimus.
Si nondum capis verbum hoc: Ora (e) ut
exurgat DEUS, & cadat armatus iste, &
conteratur inimicus homo, contemtor
Dei, amator sui, amicus mundi, servus
diaboli. Quid tibi videtur? certe, si
recte sentis, mecum dices: reus est mor-
tis. Crucifigatur, crucifigatur: ut mor-
tuus mundo, vivat Deo; ut dicere pos-
sit cum Apostolo: Vivo ego, non jam
ego, vivit vero in me Christus.

PUNCTUM III. Qui amat animam
suam, perdet eam. *Ibidem.* Amat (f)
animam in hoc mundo, qui desideria e-
jus inconvenientia facit; odit autem, qui
non cedit ei noxia concupiscenti. Spi-
ritus (g) deficit, ubi caro requiescit. Ut

caro mollibus, sic anima duris nutritur.
 Illam blanda refovent, hanc aspera exer-
 cent. O Anima mea! tandem evigila, &
 Domini tui sectare vestigia. Considera
 quot millia Martyrum tritam tibi fece-
 runt viam? transferunt Virgines, tran-
 sierunt Martyres, transferunt pueri, &
 puellæ, & adhuc times? Omnis Chri-
 stiani vita, qui secundum Evangelium
 vixerit; Martyrium est. Nescit se a-
 mare Religiosus; qui nimium
 sibi indulget. *B. P. N.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Si quis mihi ministrat,
 me sequatur. *Ibidem.* Si Minister Chri-
 sti, uti debes, fieri desideras; sequere ad cer-
 tamen, ad tribulationes, ad Crucem prope-
 rantem. Delicatus (*b*) es miles, si putas
 sine pugna te posse vincere, sine certa-
 mine triumphare. Fortiter dimica, atro-
 citer in prælio concerta. Considera pa-
 ctum, conditionem attende, militiam no-
 sce. Pactum, quod spopondisti; condi-
 tionem, ad quam accessisti; militiam, cui
 nomen dedisti. Hoc pacto, quos mira-
 ris,

ris, omnes pugnaverunt; hac conditione universi vicerunt. Non Deo, sed sibi servit; qui in Dei servitio non Dei, sed sua procurat comoda. *B. P.N.*

PUNCTUM III. Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. *Ibidem.* Ecce (*i*) fructum! ut ibi sit adoptatus, ubi Unicus: nimirum (*k*) in Cælo, in visione Dei, in gaudio æterno. Regnum (*l*) Cælorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim personarum acceptio apud Deum. Quicunque se talem præbuerit, ut Regno Cælorum dignus fiat, hic accipiet: quod non personæ, sed vitæ paratum est. Ibi (*m*) tota virtus erit, videre quod amas, & summa felicitas amare, quod videoas. Nullus ibi (*n*) diaboli metus, nullæ infidiae dæmonum: terror gehennæ procul, mors nec corporis nec animæ; sed immortalitatis munere metus uterque resolutus.

(*a*) Richard. in pl. 118. (*b*) S. Clim. (*c*) S. Bern. (*d*) S. Greg. (*e*) S. Bernar. (*f*) S. Chrysost. (*g*) S. Maxim. (*h*) S. Chrysost. (*i*) S. August. (*k*) S. Chrysost. (*l*) S. Hier. (*m*) S. August. (*n*) S. Chrysost. de reparat. lapſ.

XV. Augusti.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. V. M.
Officia Marthæ & Mariæ.

Mane.

PUNCTUM I.

INtravit Christus in quoddam Castellum,
 & mulier quædam nomine Martha,
 accepit eum in domum suam. *Luc. 10.*
O Felix Martha tanti hospitis dignatione!
a quo, in mortis articulo audire meruit:
 Veni (*a*) hospita mea dilectissima! sicut
 tu me in domum tuam recepisti: sic ego
 te in Cœlum meum recipiam. *Sed longe*
felicior Maria, cui dictum a Filio: Nullus
 (*b*) plus mihi ministravit in humilitate
 mea; nulli abundantius ministrabo in
 gloria mea. Communicasti mihi huma-
 nitatem tuam; communicabo tibi Divi-
 nitatem meam. Ille (*c*) solus o Virgo
 Beata! tuas laudes fileat, qui te fideliter
 invocatam, senserit unquam in suis ne-
 cessitatibus sibi defuisse. Et quid mi-
 rum, si invocata adest; quæ etiam non
 vocata præsto est?

PUN-

PUNCTUM II. Et huic erat foror nomine **Maria**: quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. *Ibidem.* Sanctæ hæ Sorores non solum (*d*) carne, sed & religione germanæ, *Symbolum sunt Dei Genitricis Mariæ*: quæ & corporale *Marthæ officium*, & spirituale *Magdalenæ gaudium cumulatissime complexa est*. Quantæ (*e*) in una Virgine species virtutum emicant! secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium: *Virgo intra Domum, comes ad ministerium, Mater ad templum.* Talis fuit **Maria**, ut ejus unius vita, omnium disciplina sit. Si diligenter attendas, (*f*) nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, nihil candoris, quod non resplendeat in *Virgine gloriofa*. Sed (*g*) quisquis sibi **Mariæ** optat præmium; *vitæ activæ, & contemplativæ imitetur exemplum.*

PUNCTUM III. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. *Ibidem.* Activa vita est: (*b*) verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem revocare, infirmantis curam gerere, com-
A a missis

missis nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vita est : charitatem quidem Dei , & proximi tota mente retinere ; sed ab exteriori actione quiescere : ut calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat. *Tu exemplo Christi, cuius erat facere, & docere ; ex utroque fac unum :* Ita (i) studia cum pietatis ardore conjunge, ut alterum alteri emolumento esse possit. Valde (k) hoc unum tibi est necessarium , & merito aliis præferendum : in quo & Deo per amorem anima inhæret ; & parvulis charitatem, & sollicitudinem exhibit.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Martha, Martha sollicita es , & turbaris erga plurima , porro unum necessarium est. *Ibidem. Hoc unum, unicuique, unice necessarium est : ut anima una, uni Deo, unice inhæret.* Quid ergo (l) o infelix anima mea ! per multa vagaris ? requiem quæris , & non invenis ? ama unum , in quo sunt omnia , & in eo læta , saturaque conquiesces. Ipse te saturabit bonis omnibus ,

ipse

ipſe te torrente voluptatis potabit, imo
inebriabit. Oportet (*m*) omnia princi-
pia, redeant ad unum principium: Om-
nia pulchra ad unum pulchrum, omnia
vera ad unum verum, omnia bona ad
unum bonum, omnia Divina ad unum
Deum, omnia una ad unum ter Unum.

PUNCTUM II. Maria optimam partem
elegit. *Ibidem.* Maria (*n*) optimam par-
tem elegit: quia prima omnium femi-
narum Deo virginitatem obtulit: & ideo
promeruit, ut Dei Filius ex ea corpus
nostræ redēptionis fusciperet. Super-
greditur (*o*) virginitas conditionem na-
turæ humanæ, per quam homines An-
gelis assimilantur. Major tamen est vi-
ctoria Virginum, quam Angelorum:
Angeli sine carne vivunt; virgines in
carne triumphant. Non est (*p*) in
mundo locus dignior utero virginali, in
quo Dei Filium Maria suscepit; nec in
Cœlis folio Regali, quo Mariam Dei
Filius sublevavit. *O Virgo singularis!*
Nos culpis solutos, mites fac & castos.

(*a*) S. Antonin. (*b*) Gvar. Sermo. 2. de Af-
sum. (*c*) S. Bernar. (*d*) S. August. (*e*) S. Am-
bros. (*f*) S. Hieron. (*g*) S. Ambros. (*h*) S.

Gregor. (i) Const. p. 2. c. 10. (k) Richard. (l)
S. Augustin. in Med. (m) Epict. (n) S. Ildephon.
(o) S. Ambr. (q) S. Hieron.

DOMINICA INFRA OCTAVAM. Assumptionis.

FESTUM S. JOACHIMI. Vide in Nativ. B. M. V.

XX. *Augusti.*

IN FESTO S. STEPHANI REGIS HUNGARIÆ.

*Decem Servis dantur totidem
Mnæ.*

Mane:

PUNCTUM I.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. *Lucæ* 19. Summa (a) apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas; nec obscuriores quoslibet, & humili loco natos, te inferiores putas. Nescit Religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. Ille clarus,

(b)

(b) ille sublimis , ille nobilis , ille tunc integrum nobilitatem suam putet : si dignetur servire vitiis . Quid profuit Cham , quod fuerit Noe filius ? nonne separatus de medio filiorum , quorum frater erat natus , factus servus est ? nec familia ejus sancta , potuit defendere impios mores ejus .

PUNCTUM II. Vocatis autem decem servis , dedit eis decem mnas. *Ibidem.* Cui (c) plus creditur , plus ab eo exigitur , sicut scriptum est : Scienti legem , & non facienti , peccatum est grande . Quanto (d) majora sunt beneficia hominibus constituta , tanto graviora peccantibus judicia . Perversi (e) cordis est , occasionses ingratitudinis investigare . Nemo id facit , nisi qui etiam gratis est ingratus . Peremptoria res est ingratitudo . Nihil ita displicet Deo , præsertim in filiis gratiæ , quamadmodum ingratitudo . Ingratus ille Religiosus est , qui putat se plus contulisse Religioni , quam accipisse ab ea . *B. P. N.*

PUNCTUM III. Negotiamini , dum ve-
nio. *Ibidem.* Tota vita nostra assiduum
debet esse negotium. Quod negotium ,
(f) tum vere nos agimus : si vivendo
& loquendo proximorum animas lucra-
mur : si infirmos quosque Cœlestis Re-
gni gaudia prædicando in superno amo-
re roboramus : si superbos , gehennæ
supplicia terribiliter insonando flectimus :
si pueros (g) tum circa Christianam pie-
tatem , tum circa litteras erudimus , ut
sic edocti vitam possint consequi æter-
nam. Sed , (h) ad hoc pondus ego
expavesco , & , quod accepto Regno
Paterfamilias redeat rationem nobiscum
positurus , aspicio ; sed qua eum men-
te sustinebo , cui de suscepto negotio ,
animarum lucrum , aut nullum , aut pe-
ne nullum reporto ?

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Cives autem ejus ode-
rant eum. *Ibidem.* Odium (i) invete-
rata ira est. Ubi odium est , ibi chari-
tas esse non potest ; ubi charitas abest ,
ibi nihil boni adest. Non (k) potest
hominem odiisse , qui Deum amat ; nec

po-

poteſt Deum amare , qui hominem odit . Sicut Rex in imagine sua honoratur : ſic Deus in homine , aut diligitur , aut oditur . Perfectum , & ſanctum odium eſt : homines diligere , & eorum vitia ſemper horrere . Qui (*l*) non malefacta , ſed personam fratriſ ſui odio profequitor , & iſ , qui ei detrahit , & qui eum occidit ; pari pœna digni ſunt . *S. Hieron.*

PUNCTUM II. Et miſerunt legationem poſt eum , dicentes : Nolumus hunc regnare ſuper nos . *Ibidem. Regnum Christi eſt* : Luxuriæ (*m*) inquinamenta neſcire , vanæ gloriæ aucupium declinare , ſuggeſtiones livoris obruere , ignem furoris extingue , ab omni peccati forde alienum eſſe . Vere (*n*) dominator eſt terræ , qui carnem ſuam regit legibus disciplinæ . Quomodo , (*o*) aut cui imperabit , qui non potheſt cupiditatibus ſuis imperare ? frænet primum libidines , ſpernat voluptates , iracundiam comprimat , & ceteras animi labes expellat ; tunc incipiat aliis imperare , quum ipſe improbiflimis dominis parere deſierit .

Deo servire non potest , qui si
bi non dominatur. *B. P. N.*

(a) S. Hieron. (b) S. Chrysostom. (c) S. Am-
bros. (d) S. Chrysost. (e) S. Bern. (f) S. Greg-
L. 1. Epist. 39. (g) Constit. p. 2. c. 10. (h) S.
Greg. (i) S. Augustin. (k) S. Chrysostom. (l)
S. Hieronym. (m) S. Augustin. (n) S. Prosper.
(o) Seneca.

XXIV. Augusti.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lectio duodecim Apostolorum.

Mane.

PUNCTUM I.

EXiit JESus in montem orare. *Lucæ*
6. Beata (a) sane mens , cui
tempore orationis datum est, nullis se in-
terpellantibus remoris , Deum posse al-
loqui. Qui sic (b) asueverit cum Deo
versari , eique gratias agere in omnibus
rebus , planum est, quod perpetuum sit
gaudium habiturus. Accumbens (c)
mensæ , largitori gratiam rependito. Tu-
nicam indueris ? gratias agito benigno-
datori. Amiciris pallio ? fac, in te au-

ge-

gescat interior erga Deum charitas, qui
indumenta largitus est. Dies expletus
est? illi referto gratiam, qui solem no-
bis, nil tale commeritis indulxit in ope-
rationis ministerium. Ad locum *(d)*
unde exierunt, revertantur flumina gra-
tiarum: ut iterum fluant.

PUNCTUM II. Vocavit discipulos suos,
& elegit duodecim ex ipsis. *Ibidem.* JE-
sum (*e*) Christum Apostolos, per quos
operatus est salutem in medio terræ,
non de foro Justiniani, sed de simplici-
tate piscatoria legimus assumpsisse. Non
elegit Reges, non Senatores, non Phi-
losophos; sed plebeos, pauperes, in-
doctos, piscaiores. O magna Artificis
misericordia! sciebat: quod si eligeret
Senatorem, diceret Senator: dignitas
mea electa est; si eligeret divitem, di-
ceret dives: opulentia mea electa est;
si Regem, diceret Rex: potestas mea;
si Oratorem: Eloquentia mea; si Phi-
losophum: Sapientia mea electa est.
Dimisit retia piscaior, & factus est Di-
vinus Orator. *Hoc exemplo:* Nos, (*f*)
qui nos vere Pauperes Matris Dei pro-

fitemur , pueros pauperes nunquam despiciendos curabimus. *Lege proœm. Constitut.*

PUNCTUM III. Et Judam Iscariotem, qui fuit proditor. *Ibidem.* Nemo (g) securus debet esse in vita ista : ut , qui fieri potuit ex deteriore melior , non fiat etiam ex meliore deterior. Judas (b) cecidit de schola Salvatoris. Væ (i) nobis miseris , qui de electione nostra , nullam adhuc Dei vocem cognovimus , & jam in otio , quasi de securitate torpemus. Debet profecto in spe esse securitas ; sed etiam timor in conversatione : ut illa certantes foveat , hic torpentes pungat. Videndo Magdalenam , de tua liberatione non desperes ; sed etiam Judam cogitando , securus esse non debes. **Tutus in Religione vivit , qui non sibi , sed Deo vivit. B. P. N.**

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Et omnis turba quærebatur eum tangere. *Ibidem.* **Tenere JESUM , summa est felicitas. Non tenetur ille**

le manibus ; sed amoribus. Amor (*k*) Divinus est ignis , lux , mel , vinum , sol . Ignis est in meditatione , purificans mentem a fôrdibus. Lux est in oratione , mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione , mentem dulcorans dulcedine Divinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione , mentem inebrians suavi , & jucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine , mentem clarificans serenissimo lumine , & exhilarans perenni jubilatione. Quid (*l*) potest tibi mundus conferre sine JESU ? qui adhæret creaturæ , cadet cum labili ; qui amplectitur JESUM , firmabitur in ævum.

PUNCTUM II. Quia virtus de illo exibat , & sanabat omnes. *Ibidem.* Deus (*m*) ob animi peccata , corpus flagellat ; ut deterioris partis supplicio , melior ad quærendum remedium convertatur. Intellige , (*n*) o homo ! medicum esse Deum , & tribulationem medicinam esse ad salutem ; non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris , secaris , clamas : non audit medicus ad

voluntatem, sed audit ad sanitatem. Quod te Dominus permisit pati, flagellum corrigentis est; non pœna damnantis. *O Cœlestis medice! hic ure, hic seca, modo in æternum parcas.*

(a) Bibl. SS. PP. (b) Theophilaet. (c) S. Basil. (d) S. Bernard. (e) S. Augustin. (f) In Proœm. Conſt. (g) S. August. (h) S. Bernar. (i) S. Greg. (k) Raban. (l) Thom. a Kemp. (m) S. Chrysostom. (n) S. Augustin.

XXVII. Augusti.

IN FESTO B. PATRIS NOSTRI JOSEPHI CALASANTII.

Pusillum suorum Discipulorum gregem solatur Christus.

Mane.

PUNCTUM I.

NOLITE timere pusillus gress. *Luc. 12.*
Pusillum gregem ob paucitatem, & paupertatem nuncupavit. Noli timere, imo magis gaude, te quoque de hoc grege Christi esse: de quo Celeberrimus Anachoreta jam olim ita vaticinatus est: Congregabuntur (a) servi Dei dicentes: Missis Dei multa, Operarii vero pauci. Ve-
ni-

nite, mittamus & nos falcem in messem ejus. Imitabuntur in charitate Sanctos, & in puritate electos Dei: frequens lingua eorum ad populos, & reducere eos conabuntur in semitas justitiae. Docebunt pueros præcepta Legis, & Juvenes vias Domini. Congregabuntur in multis Regnis: ubi invocatur nomen Dei. *Hæc serio expende; & quid te facere oporteat, cognovisti.*

PUNCTUM II. Quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. *Ibidem.* Bonæ (b) JEsu! doce me facere voluntatem tuam, ut a spiritu tuo bono deducatur, ad beatam illam perveniam Civitatem, ubi tecum regnant omnes Sancti: quorum (c) tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, quorum conversatio immortalis, & in capite coronæ aureæ cum gemmis variis fabricatae. Cur ergo (d) per multa vagaris homuncio, quarendo bona animæ, & corporis? ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.

Quid

Quid amas caro mea ? quid desideras anima mea ? ibi est , ibi est , quidquid amari , quidquid desiderari potest , in Cœlis est.

PUNCTUM III. Vendite quæ possidetis , & date eleemosynam. *Ibidem.* In venditione voluntariam paupertatem ; in largitione eleemosynæ , intellige studium docendi bonas artes , & pietatem. Tam (e) in tradenda Grammatica , quam alia quavis Scientia , ad discipulorum utilitatem pluriimum conferet : si aliquo facili , utili , & quoad fieri poterit , brevi modo Magistri omnes utantur. Sunt autem (f) quidam , qui nulli Arti , quod suum est , tribuere volunt ; sed in singulis legunt omnes. In Grammatica , de Syllogismorum ratione disputant : in Dialectica inflexiones casuales inquirunt. Non omnia dicenda sunt , quæ dicere possumus : ne minus utiliter dicantur ea , quæ dicere debemus.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Facite vobis fæcculos , qui non veterascunt , thesaurum non deficientem in Cœlis. *Ibidem.* Quid (g) cum

cum terra illi, qui possidet Cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam Divina? Nisi forte placent gemitus, eliguntur labores? *O pusille grex!* dicit (*b*) tibi Christus: da mihi ex eo, quod dedi de meo. Da, & redde: de meo quæro. Habuisti me doctrinæ largitorum, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia servitia mihi das, æterna tibi restituam: te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Nemo dicat: non habeo: charitas de sacculo non erogatur. Multa sunt genera eleemosynarum. Charitatis (*i*) & pietatis dona amate: de quibus apud Deum, eo major fit retributio, quo apud homines minor est gloria.

PUNCTUM II. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. *Ibidem.* Qui (*k*) collocat thesauros in terra, non habet quid speret in Cœlo. Ut quid respiciat in Cœlum, ubi nihil habet repositum? Da, (*l*) quod accipias: sere, quod metas: sparge, quod colligas; quamvis non habeas, nisi quod acceperis: non potes tamen non habere, quod de-

dederis. *Imitare Beati Patris tui in docendo constantiam* : qui in hoc (*m*) summae patientiae, & humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos, & septuaginta annos perseveravit. *O Beate Pater ! Pater Pusilli gregis Christi ! Pater Juventutis ! da, ut tuo exemplo, & patrocinio ita doceamus : ut thesaurus noster, ut cor nostrum, cum thesauro incorruptae linguæ tuæ, cum thesauro incorrupti cordis tui, tecum sit in Cælis.*

(*a*) Franc. Maggi. ex vetust. MS. codice. (*b*) S. Gregor. (*c*) S. Vigilant. (*d*) S. Ansel. (*e*) Const. p. 2. c 11. (*f*) Hugo in Didascal. l. 3. (*g*) S. Chrysol. (*h*) S. August. (*i*) S. Greg. (*k*) S. Chrysost. (*l*) S. Leo P. (*m*) ex Lect. secundi Noct. in Feste B. P.

Si ponendum sit Evangelium: *Sint Lumbi Vestri.* Vide 27. Junii.

VIII. Septembris.

IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

Genealogia Jesu Christi.

Mane.

PUNCTUM I.

Liber Generationis JEsu Christi. Matth.
I.

1. Generationem ejus quis enarrabit ?
 Quod (*a*) caro Verbum sit factum, scio ;
 quomodo factum sit ? nescio. Miraris,
 quia ego nescio ?. omnis creatura id igno-
 rat. Sed & Deiparæ Nativitatis privile-
 gia, quis enarrabit ? Ipsa (*b*) est aurora
 consurgens, pulchra ut luna, electa ut
 sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.
 Luna lucet in nocte, aurora in diluculo,
 sol in die. Nox est culpa , diligulum
 pœnitentia, dies gratia. Si positus sis
 in nocte culpæ, respice lunam ; ut illa
 te dirigat ad auroram pœnitentiæ, & ad
 lumen gratiæ reducat. Si impugnaris ab
 hostibus animæ ; confugito ad castrorum
 aciem ordinatam. Cœlum, & terra jam
 dudum ruisserent, si Maria precibus non
 sustentasset. *S. Fulgent. l. 4. Mytholog.*

PUNCTUM II. Filii David, Filii Abra-
 ham. *Ibidem.* Posteaquam Regnum Davi-
 dicum, ad universale in Cœlo & Terra Im-
 perium sublimavit Christus : Mariam Ma-
 trem suam Cœli, & terræ Reginam saluta-
 vit. Hanc advocatam (*c*) præmisit pe-
 regrinatio nostra : quæ tamquam Judicis
 Mater, & Mater Misericordiæ, supplici-
 B b ter,

ter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractaret; siquidem ei, nec facultas possit deesse, nec voluntas. **R**egina Cœlorum est, misericors est, Mater Dei est. **N**isi forte non creditur Dei Filius honore Matrem; aut Maria viscera misericordiæ exuerit, in quibus novem mensibus ipsam Misericordiam gestavit.

PUNCTUM III. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. *Ibidem.* Maluit Dominus (*d*) aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare. Sciebat teneram Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putavit ortus sui fidem, Matris injuriis adstruendam. Oportet sanctos, & ab his testimonium habere, qui foris sunt. O inæstimabilis (*e*) Mariæ laus! Joseph plus credidit castitati, quam utero tumescenti: plus gratiæ, quam naturæ. *Quid tu hac tenus pro honore Mariano præstitisti? propone serio nullam occasionem negligere.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. De qua natus est JESUS. *Ibidem.* Dum (*f*) Unigenitus Dei existens ante secula ex Mariæ utero natus est

est homo; investigabili miraculo, facta
est & ancilla hominis per Deitatem, &
Mater Verbi per carnem. Quid nos (*g*)
tantilli, quid pusilli in ejus laudibus re-
feremus? Etiam si omnium nostrum
membra verterentur in linguas, eam lau-
dare sufficeret nullus. Si Cœlum te vo-
cem, altior es: si Matrem gentium, præ-
cedis: si formam Dei te appelle, digna
existis: si Dominam Angelorum, prima
esse probaris. Tu (*b*) Patrona humani
generis, tu afflictis rebus medicina sin-
gularis. Quis tuo non egeat munere,
cum sit peccare commune?

PUNCTUM II. Qui vocatur Christus.
Ibidem. Vera ratione (*i*) censeo confi-
tendum: Mariam in Christo, & apud
Christum esse. In Christo: quia in ipso
vivimus, movemur, & sumus. Apud
Christum: quia gloriose ad æternitatem
assumpta, benignitate Christi, honoratus
suscepta ceteris: atque ad communem
utilitatem, non addicta post mortem pu-
tredini, vermi, & pulveri. Per te (*k*)
Virgo Sancta! Cœlum impletum est, eva-
cuatus est infernus, instauratæ ruinæ Cœ-

lestis Jerusalem, misericordia expectantibus
perdita vita data. (l) Merito in te
respiciunt oculi totius creaturæ: quia in
te, & per te, & de te, benigna manus
Omnipotentis, quidquid creavit, recrea-
vit.

(a) S. Chrysost. hom. 5. (b) Innoc. III. Papa.
(c) S. Bern. (d) S. Ambros. (e) S. Chrysost. (f)
S. Gregor. (g) S. Bern. (h) Cass. (i) S. Aug. (k)
S. Bern. (l) Idem.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NA- TIVITATIS B. V. M.

De Sanctissimo Mariæ Nominе.

Mane.

PUNCTUM I.

Nomen Virginis Maria. *Luc. i.* Ma-
ria (a) interpretatur: stella maris.
Tolle (b) corpus solare, quod illuminat
mundum; ubi dies? tolle Mariam, hanc
Maris stellam; quid nisi caligo, & umbra
mortis, ac densissimæ tenebræ relinquen-
tur? Oportet universos Christicolas,
inter fluctus hujus seculi navigantes, at-
tendere hanc Maris stellam, quæ supre-
mo cardini, id est Deo, proxima est: &

re-

respectu exempli ejus, cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit: non jactabitur vanæ gloriæ vento, non frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur sirenea voragine voluptatum; sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ.

PUNCTUM II. Ne timeas Maria. *Ibidem.* *Timeant, qui oderunt nomen sanctum tuum:* erubescant, (*c*) deficiant, & agnoscant, quia nomen est tibi Maria, id est: Domina. Beatam (*d*) te dicunt omnes generationes, Genitrix DEI, Domina Mundi, Regina Cœli. Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus universorum filiorum Adam. Mater (*e*) Domini omnis creaturæ, effecta est Domina omnis creaturæ. Per (*f*) manus hujus Dominæ habemus, quidquid boni possidemus. Te Domina Magna, & valde magna, te vult cor meum amare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea: quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.

PUNCTUM III. Invenisti enim gratiam apud Deum. *Ibidem.* Ceteris (*g*) Virgi-

nibus per partes præstatur gratia: Mariæ vero se totam infudit gratiæ plenitudo. Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet Cœlum, stupet terra, creatura omnis, & cœlestis miratur: hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nunciatur. Quid (*b*) Sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit? O! quam apposite (*i*) Maria Mare dicitur propter affluentiam, & copiam gratiarum. Omnia flumina intrant in mare: dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Dixit autem Maria; Ecce Ancilla Domini. *Ibidem.* Maria (*k*) etiam interpretatur: illuminata: quæ mirabiliter est illuminata per præsentiam Domini. Magna (*l*) fuit illuminatio Jeremiæ, qua potuit vitare faciliter culpam mortalium: major Joannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venialium; maxima Virginis Mariæ, qua potuit vi-

tare, immo vitavit omne peccatum. Vere in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariæ: cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, nec ipsa puritas Angelorum. Agnosce, (n) o benedicta! filios tuos: quos unice dilectus Unigenitus tuus, non erubuit nominare fratres suos.

PUNCTUM II. Fiat mihi secundum verbum tuum. *Ibidem.* Virgo beata, in hoc consensu Conceptionis Filii Dei, plus meruit, quam omnes creaturæ. Ad illam (n) abyssum inperscrutabilem omnium charismatum Spiritus S. quæ in Beatam Virginem descenderunt in hora Divinæ Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere. Beata Virgo, in illo admirabili consensu meruit dominium totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium beatitudinum. Meruit fecunditatem in Virginitate. Meruit: quod sit stella maris, porta Cœli, & super omnia, quod Re-

gina, & Mater misericordiæ nuncupetur. O Mater Sancta! (o) Mater immaculata, Mater misericordiæ, Mater pietatis, & indulgentiæ: aperi finum pietatis, & fuscipe me mortuum in peccatis.

(a) S. Bonavent. (b) S. Bern. (c) S. Ger.
 (d) S. Bern. (e) S. Bernardin. Sen. (f) S. Bonavent.
 (g) S. Hieron. (h) S. Petr. Damian. (i) S.
 Bonavent. (k) Idem. (l) S. Bern. (m) S. Ansel.
 (n) S. Bernar. (o) S. Ansel.

XIV. Septembr.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Christus in Cruce exaltatus omnia trahit ad se.

Mane.

PUNCTUM. I.

NUNC judicium est mundi. *Joan. 12.*
 Hodie, (a) Crux fixa est, & seculum sanctificatum est: hodie Crux fixa est, & dæmones dispersi sunt: hodie Crux fixa est, & mors subversa est. Signum Crucis, a nobis expellit exterminatorem: si tamen cor nostrum, Christum

stum habet inhabitatorem. **Crux (b)** Christi condemnat voluptati , & deliciis deditos ; mundi amatores , justo judicio foras ejicit a cœlesti gloria. Mites , qui- que carnem suam crucifixerunt cum vi- tiis , & concupiscentiis suis , æternæ vi- tæ præmiis remunerat. **Crux (c)** non solum dicitur , quæ ligni affixione confi- citur : ut non solum intelligatur ligni patibulum ; sed piæ vitæ , virtutisque propositum. **Nescit lucrari Chri- stum , qni nescit pati pro Chri- sto.** *B. P. N.*

PUNCTUM II. Ego si exaltatus fuero a terra , omnia traham ad me ipsum. *Ibidem.* Trahi (d) a Deo post mortem non poterit , qui se a Deo male viven- do separavit. Certa (e) atque secura est expectatio futuræ beatitudinis , ubi est participatio Dominicæ Passionis. O homo , (f) vide , quæ pro te patior ! non est dolor , sicut quo crucior. Ad te clamo , qui pro te morior. Vide pœnas , quibus afficiar : clavos vide , quibus confodior. Cum sit dolor tan-

tus exterior, interior est planctus gravior: quum te tam ingratum experior. Scio Domine, quod merita mea mihi non sufficiunt. Audacter usurpo ex visceribus Christi, quæ misericordia affluunt. Patet arcanum cordis, per vulnera corporis: *huc configio.*

PUNCTUM III. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. *Ibidem.* Caput (g) Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum, spulis Judæorum deturpatur: oculi lucidiores sole, caligant in morte: aures, quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os, quod docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes, quorum scabellum adoratur, Cruci clavis affiguntur: manus, quæ formaverunt Cœlos, in Cruce extensæ, & affixæ: latus lancea perforatur. Quid plura? non remansit in eo nisi lingua: ut pro peccatoribus oraret, & Matrem Discipulo commendaret: *quam & tibi, testamenti tabulis, B. Patriarcha tuus pro Matre commendavit.*

Die

PUNCTUM I. Adhuc modicum lumen
in vobis est. *Ibidem.* *耶穌基督之十字架*
是犯人之真正之光。 Ut (*b*) a peccato
sanemur, Christum crucifixum intuea-
muri. Quomodo, qui intuebantur ser-
pentem æneum in deserto, non peribant
morsibus serpentum: sic, qui intuen-
tur Christi mortem, sanantur a morsi-
bus peccatorum. Cum posset (*i*) no-
bis etiam non moriendo succurrere, vo-
luit tamen hominibus moriendo subve-
nire. Conspui (*k*) voluit: ut nos la-
varet; velari: ut velamen culpæ, &
ignorantiæ a cordibus nostris auferret.
Noli (*l*) tantum amittere beneficium,
o homo! propterea Christus mortis
damnationi se subdidit, ut te a jugo
damnationis erueret.

PUNCTUM II. Dum lucem habetis,
credite in lucem. *Ibidem.* Omnis (*m*)
creatura compatitur Christo morienti:
sol obscuratur, terra movetur, petræ
scinduntur, velum templi dividitur, se-
pulchra aperiuntur; solus miser homo
non compatitur, pro quo solo Christus

patitur. Quid (*n*) fecisti dulcissime puer! ut sic judiceris? quid commisisti, o amantissime juvenis! ut tam viliter traeteris? quod scelus tuum? quæ caussa mortis? quæ occasio damnationis? ego sum tui caussa doloris, ego tuæ culpa occisionis. Ego tuæ Passionis livor, tui cruciatus labor, tuæ vitæ meritum, tuæ vindictæ flagitium.

(*a*) S. Aug. (*b*) S. Leo Pap. (*c*) S. Maxim.
 (*d*) S. Greg. (*e*) S. Leo Pap. (*f*) S. Bernar. (*g*)
 Idem. (*b*) S. August. (*i*) S. Greg. (*k*) S. Hier.
 (*l*) S. Ambros. (*m*) S. Hieron. (*n*) S. Ansel.

XXI. Septembr.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Vocatio Matthæi.

Mane.

PUNCTUM I.

VIdit JESUS hominem sedentem in te-lonio. *Matth. 9.* Sedebat, (*a*) quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus. Aurum natura grave, gravius fit avaritia hominis. Hinc est,
 quod

quod plus habentem, plus deprimit: & aggravat magis corda, quam corpora. Magna (*b*) est securitas cordis, nil habere concupiscentiae secularis. Si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum esse nullatenus potest. Prius dolorem habet in ipsa concupiscentiae fatigatione: qualiter concupita raperet; at postquam pervenit ad desiderium, aliis hunc dolor fatigat: ut cum timore custodiat, quod cum labore meminit aquisitum. Si vero semel in appetitione supernae patriæ, forti stabilitate animus figitur; minus perturbatione temporalium vexatur. Sic fit: ut bonis omnibus externis, ob Dei amorem abdicatis, corpore & animo post ipsum celerius currat.

Conſt. p. 2. c. I.

PUNCTUM II. Et ait: sequere me. *Ibidem.* Veni, dixit: (*c*) non tam incessu pedum, quam renovatione morum. Quod est: non ambire terrena, non caduca lucra ſectari, fugere honores, contemptum libenter amplecti, cunctis prodeſſe amare, injurias nulli inferre, illatas patienter ſufferre, inferentiibus

bus injurias veniam a Domino postulare; non suam, sed Conditoris sui gloriam quærere: quidquid valet ad amorem Supernorum, eligere. Hæc, & ejusmodi gerere, est vestigia sequi Domini.

PUNCTUM III. Et surgens secutus est eum. *Ibidem. Quare procrastinas propositum emendationis tuæ?* Surge, & hoc puncto temporis vestigia Christi sequere, ac dic: nunc tempus est incipiendi, nunc tempus pœnitendi, nunc tempus emendandi. Non sufficit (*d*) summis labris dicere: peccavi! parce! remitte! & Saul dicebat: peccavi! sed non obtinuit illam veniam, quam David una pœnitentiæ voce promeruit. Non levi agendum est contritione; ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debebatur. Nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. *Ibidem.* Si (*e*) annunciant te ad impium,
ut

ut a viis suis convertatur , non fuerit conversus ; ipse impius in iniuitate sua morietur : & tu animam tuam liberasti . Hinc veraciter ostenditur : quod sive proficiant , sive non proficiant Auditores ; tacere eis non debeant Sacerdotes & moderatores . Nec ideo rei sunt , si forte eorum verba non audiunt ; sed si ab eis corrigendis absistunt . Quia , si nec exemplo Præpositorum suorum , nec verbo contumaces emendari volunt ; ipsi causa suæ perditionis existunt . Noli (*f*) imitari malos medicos : qui in alienis malis , profitentur se tenere medicinæ scientiam ; se ipsos autem curare non possunt .

PUNCTUM II. Misericordiam volo , & non Sacrificium . *Ibidem* . Misericordia (*g*) subsequitur ad custodiā ; sed præcedit ad gratiam conferendā . Nam si solum sequeretur , nemo donatum perciperet : si tantum præcederet , nullus posset collata servare . Graviores enim sunt infidiae , quas a tergo diabolus patrat : & nisi misericordia subsequatur , facilime fragilitas humana decipitur . Mi-
se-

sericordia (*b*) est salutis præsidium, fi-
dei ornamentum, propitiatio peccato-
rum : hæc est, quæ justos probat, San-
ctos roboret, Dei cultores ostentat.

(*a*) S. Chrysol. (*b*) S. Greg. (*c*) Raban. (*d*)
S. Euseb. Emyss. (*e*) S. Prosper. (*f*) Seneca.
(*g*) Cass. (*h*) S. Chrysostom.

XXIX. *Septembr.*

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Quis sit major in Regno Cœlorum?

Mane.

PUNCTUM I.

Quis putas major est in Regno Cœ-
lorum? *Matth. 18.* Et in schola
Christi reperitur ambitio, & in Religioso-
fatu secure dormit: (*a*) Ubi, velut sub
umbra recubans, sub paupertatis pallio
se se fraudulenter occultat: hoc ipso,
(*b*) perniciosior, quod blanda est con-
solatrix dignitatum. Sæpe, quos vi-
tia nulla delectant, quos nulla potuit
moveare luxuria, nulla avaritia subruere;
facit ambitio vitiosos. Ambitio (*c*) est
quæ-

quædam simia charitatis: Charitas patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: Utraque omnia credit, omnia sperat; sed longe dissimili modo.

PUNCTUM II. Advocans JESUS parvulum, statuit eum in medio eorum. *Ibidem.* Quem, (*d*) cum complexus esset, ait illis: quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicunque me susceperebit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Marci 9. Da mihi (*e*) aliquem, qui spiritualis est, qui quærat, non quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi: quem totum repleverit charitas, humilitas, & pietas: qui nullis stimuletur, aut allicitur formis corporum; sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate versetur: & hæc intelliget. Venite ergo ad me parvuli! ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: sic Angelos nostros vi-
cissim lætificabimus.

PUNCTUM III. Nisi conversi fueritis,
 & efficiamini sicut parvuli, non intrabi-
 tis in Regnum Cœlorum. *Ibidem.* Ætas
 hæc (*f*) infirma est viribus, invalida
 ingenio, immatura consilio. Non igi-
 tur pueritia; sed æmula puerilis simplici-
 tatis bonitas, imitanda designatur. Quis
 ergo puer imitandus est? ille, de quo
 Isaias dicit: Puer natus est nobis. Ipse
 Puer tibi dicit: tolle crucem tuam, &
 sequere me. Et, ut agnoscas hunc
 Puerum; cum malediceretur, non ma-
 ledixit. Hæc est perfecta virtus. Ita-
 que, & in pueritia est quædam venera-
 bilis morum senectus: & in senectute
 innocens pueritia. Non quamdiu
 in Religione fueris; sed quam-
 diu in ea bene vixeris, refert.

B. P. N.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Quicunque ergo se hu-
 miliaverit sicut parvulus iste, hic est
 major in Regno Cœlorum. *Ibidem.* Esto
 (*g*) parvus in oculis tuis, ut sis magnus
 in oculis Dei. Non (*b*) aliam tibi viam
 in-

invenias, quam quæ monstrata est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties hoc interrogares, dicere: humilitas. Quum (*i*) te humiliatum videris, habeto illud signum, in bonum argumentum gratiæ propinguantis. Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii libenter: primi rei sunt; sequentes innoxii; ultimi justi.

PUNCTUM II. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus. *Ibidem*. Nemini (*k*) blanditur veritas, aperte denunciat: quoniam vœ homini illi per quem scandalum venit. Omnis (*l*) qui male vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit. Claras (*m*) maculas suas reddunt, si illi, quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt. Expedit non videri. Benedicta (*n*) a Deo illa anima: cuius humilitas confundit superbiā; cuius patientia extinguuit iracundiam; cuius fervor alienam inertiam

exuscitat. Religiosorum exempla,
mors, & vita secularium. B.P.N.

(a) S. Cypr. (b) S. Ambr. (c) Rab. (d)
Marci 9. v. 36. (e) Gerson. (f) S. Ambr. (g) S.
Isid. (b) S. Aug. (i) S. Bern. (k) Idem. (l)
S. Aug. (m) Cass. (n) Cæsar.

XXVIII. Octobr.

IN FESTO SS. SIMONIS & JUDÆ APOSTOLORUM.

*Mutua dilectio Discipulorum
Christi.*

Mane.

P U N C T U M I.

HÆc mando vobis, ut diligatis invi-
cem. *Ioan. 15.* Sola (a) charitas
est, quæ vincit omnia, & sine qua nihil
valent omnia. Fictos (b) mansuetos,
castos, eleemosynarios, & omnem spe-
ciem boni, quam creavit Deus ad ho-
minum salutem, introduxit diabolus ad
hominum perditionem; solam charitatem
Spiritus Sancti, non potest immundus
Spiritus imitari. Breve (c) præceptum
tibi

tibi præcipitur: dilige, & fac quod vis.
 Sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames: sive emedes, dilectione emedes: sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis: non potest de ista radice, nisi bonum exire.

PUNCTUM II. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem odio habuit. *Ibidem.* Plerumque (*d*) ideo patientes videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non est: quia patientia non in ostentatione inquiritur, sed in corde. Sæpe hostis callidus, quum imparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur, exquirit: & ibi scandali laqueos inserit: ut quo res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur.

PUNCTUM III. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. *Ibidem.* Frustra (*e*) sermo Dei custoditur memoria, si non custoditur vita. Hic est cibus animæ, hic panis, qui de Cœlo descendit.

Quisquis (*f*) Verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Non potest panem seculi capere, qui pane reficitur Salvatoris. Negligit famam corporis, qui pabulo sacræ lectionis intendit. Ventrism curam habere non poterit, qui alimentum cibi cœlestis acquirit. Hæc est refection, quæ saginat animam: cum de Divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipit. Mensa conditatur sacra lectione, ne corpus tantum, sed etiam anima nutriatur. *Const. c. 2. p. 4.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Ibidem.* Omnipotens (*g*) electorum suorum adversarios, temporaliter permittit excrescere: ut per maiorum sævitiam, purgetur vita bonorum. Dum injusti sœviunt, justi purgantur. Utilitati innocentium, militat vita pravorum. Utilitati bonorum, militat etiam potestas pravorum. Illud (*h*) est magnificum, si subjectus contumeliis, judicium Dei laudes: si vexatus, judicio Dei deputes: si te inopia premit, non revocet, quo ininus laudes justitiam DEI.

No-

Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello; sed quem locum in testamento.

PUNCTUM II. Nunc excusationem non habent de peccato suo. *Ibidem.* Peccatum (*i*) peccato adjungit, qui culpæ, quam fecit, patrocinia defensionis adjungit. Excusatio perfecta, testimonium bonæ conscientiæ. *Agnosce tua esse virtutia, quæ cætati, tempori, loco, educationi, & aliis adscribis caussis.* Universale hoc malum in Paradiſo ortum est: ubi Adam in Eviam, hæc in serpentem rejicere scelus conata est. Quotidie usu venit: quod (*k*) superbus vult se credi constantem; prodigus liberalem; avarus diligentem; temerarius fortem; ignavus quietum; timidus cautum. Frustra hæc velamenta peccatis prætexis: licet hominem fallere possis, Deum non poteris.

(*a*) S. Aug. (*b*) S. Chrysost. (*c*) S. Aug. (*d*) S. Greg. (*e*) S. Aug. (*f*) S. Ambr. (*g*) S. Greg. (*b*) S. Aug. (*i*) S. Greg. (*k*) S. Prosp.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Octo Beatitudines.

Mane,

PUNCTUM I.

BEATI pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. *Matth. 5.* Paupertas (*a*) est manuductrix in via, quæ dicit ad Cœlum. Vis (*b*) intelligere, quis pauper spiritu sit? qui corporalem opulentiam, animæ divitiis permutat: qui propter spiritum egenus est: qui terrenas divitias, veluti quoddam onus abjecit. Pauper (*c*) Spiritu, id est: spirituali voluntate, spirituali intentione, desiderio spirituali: propter solum beneplacitum Dei, & salutem animalium. Pauperes (*d*) Christi, egent in hoc seculo, sed sunt locupletes Deo; vitiis vacui, sed virtutibus pleni. Vis (*e*) obtinere Cœlum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.

PUNCTUM II. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Ibidem.* Mansuetudo (*f*) est adjutrix obedientiæ.

Dux

Dux Religioſæ Societatis, Magistra gaudii, ſcutum adverſus animi acerbitatem. Anima autem turbulentia, nidus eſt diaboli. Humilibus, & pauperibus datur Cœlum, mitibus terra: quid ſuper eſt ſuperbiſ, & crudelibus, niſi infernalis miſeria? Magna (*g*) eſt virtus, ſi non lædas, a quo læfus eſt. Magna fortitudo, ſi etiam læfus remittas. Magna eſt gloria, ſi cui potuisti nocere, non noceas. Vere mites (*b*) ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non refiſtunt in malo; ſed vincunt in bono malum.

PUNCTUM III. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Ibidem*. Pia (*i*) eſt iſta triftitia, & ſi dici potheſt, bona miſeria: vitiis alienis tribulari, non implicari; moerere, non hærere; dolore contrahi, non attrahi. Cujus (*k*) pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum, ut gemitus non exprimat, cum agnici vel proximi morbum, aut interitum intuetur? ut patienti non compatiatur, & dolenti non condoleat? Ipſe JESUS cum vidiffet Mariam, & Judæos plorantes, infremuit Spiritu, turbavit ſemetipſum, & lachry-

matus est. Tanto (*l*) quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. Plus est aliquando compati ex corde, quam dare.

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam. *Ibidem.* Non (*m*) sufficit velle justitiam, sed esurire: ut per hanc famem, nunquam nos satis justos esse credamus, sed semper justitiae opera esurire intelligamur. Tota vita (*n*) boni Christiani, Sanctum desiderium est. Inter (*o*) profectum, & defectum, in hoc statu mortalis vitae, nihil medium inventitur. Quomodo corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere: sic necesse est, Spiritum aut proficere semper, aut deficere. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse: semper esurit, sitique justitiam. Religiosus semper deficit, qui in sua vocatione non semper proficit.

B. P. N.

PUNCTUM II. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Ibidem.* Si (*p*) Filii

lii Dei sunt, qui pacem colunt; filii satanæ sunt, qui eam confundunt. Pacem (*q*) cum fratribus non habens secundum quod Beatus Apostolus testatur: nec, si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis expiabit. Quale delictum est: quod nec Martyrio sanguinis poterit aboleri? Nulla (*r*) spatia satis possunt esse discordibus; quietis etiam angusta abundant. Summopere (*s*) jurgia fuge: contra parem contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore sordidum. Nemo alium mortificet, aut contentiose quidquam agat. *Const. p. 2. c. 7.*

(*a*) S. Chrysost. (*b*) Nyssen. (*c*) S. Bernar.
 (*d*) Cass. (*e*) S. Bern. (*f*) Clim. (*g*) S. Isidor.
 (*h*) S. Augustin. (*i*) Idem. (*k*) Innoc. P. (*l*) S. Greg.
 (*m*) S. Hier. (*n*) S. Augustin. (*o*) S. Bern.
 (*p*) S. Greg. (*q*) S. Chrysost. (*r*) S. Aug. (*s*) Cass.

V. Novembr.

FESTUM S. EMERICI DUCIS HUNGARIE.

Vide 27. Junii.

VI. Novembr.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

*Nemo lucernam accensam ponit
sub modio.*

Mane.

PUNCTUM I.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit. *Luc. 11.* Sub (*a*) modio lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ, commodis temporalibus obscurat, & tegit. Sermo (*b*) vivus, & efficax, exemplum operis est. Nullum (*c*) ego consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri: provocans eum ad meliora, & consulens ei non tam verbo, quam opere, & veritate. In (*d*) plerisque, justi aspectus admonitio correctionis est. Est insitum bonis: ut castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes suas in aliis amet. Sanctorum mentes (*e*) consideratis invicem alternis virtutibus excitantur.

PUN-

PUNCTUM II. Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Ibidem.* Ut interior oculus (*f*) corpus illuminet, tria sunt necessaria: veritas in cognitione, Charitas Dei in intentione, bonitas in electione. Primum præstat Sacrae Scripturæ meditatio: alterum bona intentio: tertium intellectus illustratio. Geminum (*g*) confert donum lectio Sanctorum Scripturarum; sive quia mentis intellectum erudit; seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem DEI perducit. Quidquid (*b*) homo extra didicerit, si noxiū est, hic damnatur; si utile est, hic invenitur. Hæc scientia nihil præcipit, nisi charitatem: nihil culpat nisi cupiditatem.

PUNCTUM III. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Ibidem.* Rarum est oculum simplicem invenire. Non (*i*) illico sanctum est, quod agitur, tametsi sanctum videatur. Sanctum non est, nisi sancte, quod sanctum est peragatur. Omni (*k*) cura servandus est a malitiæ pulvere oculus cordis. Qui (*l*) bonum diligit, & malum nescius

nescius agit; hujus bonus est quidem oculus, quia pius; non tamen simplex, quia cœcus. Qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit; illius oculum non immerito simplicem dixerim: utpote cui neutrum bonum desit: nec Zelus bonus, nec scientia. Is vero oculus nequam est: qui perversus, pariter & cœcus; bonum agit, & malum credit.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. *Ibidem.* Lux mentis (*m*) dicitur bonum, quod lucem omnem superat, quod quasi radius, lucisque effusio mentem omnem, ex sua plenitudine illustrat. Sequamur (*n*) Christum lumen verum; ne ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum; non oculorum. Et si metuendæ sunt oculorum, non exteriorum, sed internorum: Unde disceruntur non album, & nigrum, sed justum, & injustum. Sæpe fit, ubi homines (*o*) majorem vitæ partem in tenebris agunt; ut novissime solem quasi supervacuum fastidiant.

PUN-

PUNCTUM II. Sicut lucerna fulgoris illuminabit te. *Ibidem.* *Lucernam fulgoris, jugis cœlestium meditatio accedit:* In meditatione mea exardescet ignis. *Ps. 39.* Tria (b) sunt genera meditationis: unum in creaturis, unum in scripturis, unum in moribus. *Ex creaturis (q)* *Creatoris sapientia, bonitas, pulchritudo reliquaque Divina attributa agnoscuntur.* *Ex scripturis, quid sequi? quid fugere oporteat? discitur.* *Ex moribus, quæ foris ad famam & exemplum, intus ad conscientiam faciant, pervidentur.* *Triplici hac lucerna, intellectum illumina, voluntatem inflamma, memoriam collustra.* Qui fulgore Divinæ bujus lucernæ illuminari desiderat; magno corporis, & animi silentio, & quiete JESUM Christum crucifixum, ejusque virtutes imitari, ac frequenter per diem recordari conetur. *Conf. p. I. c. 5.*

- (a) S. August. (b) S. Bern. (c) S. Gregor.
- (d) S. Ambros. (e) S. Gregor. (f) S. Bernar. (g) S. Isid.
- (h) S. August. (i) Orig. (k) S. Gregor.
- (l) S. Bernard. (m) S. Dionys. (n) S. Aug. (o) Sen.
- (p) Hugo. (q) Ex eodem.

XIX. Novembr.

FESTUM S. ELISABETHÆ.

Vide 26. Julii.

XXI. Novembr.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS
B. V. M.*Beatitudo Matris Christi.*

Mane.

PUNCTUM I.

EXtollens vocem quædam mulier. *Lu-*
cæ II. O felix mulier quæ post diu-
turum silentium linguam solvit in laudes
耶穌, & Mariæ! Disce hinc salubriter
tacere, & loqui. Disce ori tuo ponere
ostium, & seram verbis tuis, ac stateram.
Disce vitam, & mortem animæ in potesta-
te linguæ esse. Lingua dicta est a lingen-
do: quia dum non refrænatur, lingit (a)
adulando, mordet detrahendo, attrahit
mentiendo. Ligat, & ligari non po-
test. Labilis est, & teneri non potest.

La-

Labitur ut anguilla; penetrat, ut sagitta. Tollit amicos, movet rixas, seminat discordias, unoque ictu multos percutit, & interficit. Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic, qui interierunt per linguam suam. *Eccl. 28.*

PUNCTUM II. Beatus venter, qui te portavit. *Ibidem.* Egregius (*b*) sane titulus, & commendatio honoris immensi: Matrem esse Christi, Deum gestare ute-
ro; non onerari est, sed ornari. Sit (*c*) tibi Sancta Mater Dei laus! Tu es
prestiosa Margarita orbis terrarum, tu
Lampas inextinguibilis, Corona Virginita-
tis, Sceptrum orthodoxæ fidei. DEUS
(*d*) in te manet, & tu in eo. Vestis
eum, & vestiris ab eo. Vestis eum sub-
stantia carnis, & vestit ille te, gloria suæ
Majestatis. Vestis solem nube, & a
sole ipsa vestiris. Ex hoc, beatam te
dicent omnes generationes.

PUNCTUM III. Et ubera, quæ fuxi-
sti. *Ibidem.* Deus, qui dat omnibus affluen-
ter, modici lactis alimento pascitur; & vi-
lis homo, post tot offendas Deo irrogatas,
frugali cibo non contentus, in murmura, in

impatientiam prolabitur ! Non cibus , sed plerumque inordinatus appetitus in vizio est. Qui (*e*) Christum desiderat , non quærit , quam pretiosis cibis ventrem infarriat . Qui (*f*) corporis sui carnes delicate nutrit , malas pascit concupiscentias . Dum (*g*) venter non restringitur , simul omnes virtutes obruuntur . Quod necessitatem in esu excedit , non alimento , sed corporis pestis , & vitiorum est nutrimentum . Servus Dei non vivit ut comedat ; sed comedit ut vivat . *B. P. N.*

Die eadem Vesperi .

PUNCTUM I. At ille dixit : quin immo beati , qui audiunt verbum Dei . *Ibidem . Qui verbum Divinum libenter audit , filius adoptionis , & coheres Christi efficitur . Sive (h) stultitiam seculi exuere , sive affectus sedare , sive cupiditatem explere , sive dolores contemnere , sive fortem animum induere , sive adversa æquo animo tolerare desiderat ; verbi Divini auditione ad hæc omnia perducitur . Et quemadmodum ille beatus ,*

tus , & filius Dei efficitur : ita qui verbum Divinum fastidit , infelix , & filius diaboli agnoscitur. Nec (*i*) minus reus est , qui verbum Dei negligenter audit : quam ille , qui Corpus Christi , in terram negligentia sua cadere permittit. S. August.

PUNCTUM II. Et custodiunt illud. *Ibidem*. Hoc est dicere : (*k*) Mater mea , quam appellatis felicem , inde felix est , quia verbum Dei custodivit. Felicior partus spiritualis , quam carnis. Beator Maria fuit concipiendo Christum fide ; quam carne. Custoditio Verborum Dei , intelligenda est operatione præceptorum. Custodit (*l*) anima verbum Dei : dum ei consentit ad correctionem , eo illuminatur ad agnitionem , ei innittitur ad virtutem , eo formatur ad sapientiam , ei conformatur ad decorum. Sint Scripturæ Sacræ semper in manibus : nec sufficere putas manda ta Dei mente tenere , & operibus oblivisci : sed ideo ea cognosce , ut facias , quidquid didiceris.

(*a*) Hugo de anima. (*b*) S. Bernar. (*c*) S. Cyrill. (*d*) S. Bern. (*e*) S. Hieronym. (*f*) S.

Chrysost. (g) S. Gregor. (b) S. Chrysost. (i)
 S. Augustin. (k) Idem. (l) S. Bernar. (m) S.
 Hieron.

XXV. Novemb.

**I N F E S T O S . C A T H A R I N Æ
 V I R G I N I S E T M A R T Y R I S .**

*Parabola Virginum Prudentum,
 & fatuarum.*

Mane.

P U N C T U M I .

Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus. *Matth. 25.* Pulchritudinem (a) quis potest majorem æstimare decore Virginitatis ? quæ amatur a Rege, probatur a Judice, dedicatur Dominino , consecratur Deo. Virginitas (b) est foror Angelorum , victoria libidinum , regina virtutum , possessio omnium bonorum. Hujus autem custos verecundia est : cuius (c) societate castitas ipsa tutior est. Pulchra virtus est verecundia , & suavis gratia , quæ non solum in factis , sed etiam in ipsis spectatur sermonibus : ne modum prætergre-

grediaris loquendi , ne quid indecorum
fermo resonet tuus. Speculum mentis
plerumque in verbis refulget. Ipsum
vocis sonum ligat modestia : ne cujus-
quam aures offendat. Ad Christi imi-
tationem in Religione nostra modestiam
obserhabunt : præcipue vero in oculis ,
in incessu , in corporis habitudine ; &
non tantum in sermone , sed etiam in
modo loquendi. *Const. p. 2. c. 7.*

PUNCTUM II. Quinque autem ex eis
erant fatuæ , & quinque prudentes. *Ibi-
dem.* Ista (*d*) est summa prudentia :
per contemnum seculi , tendere ad re-
gna cœlestia. Ubi ratio (*e*) & pruden-
tia rebus bonis idoneum tempus , &
modum definiunt ; nullus relinquitur Io-
cus fatuitati. Prudentiæ est flere occi-
dua , quærere æterna , lugere tempora-
lia , Deum pacis inquirere. Prudentiæ
dico , non scientiæ , & doctrinæ. O
utinam (*f*) saperes , & intelligeres , &
novissima provideres ! saperes quæ Dei
sunt : intelligeres quæ mundi sunt : pro-
videres , quæ inferni sunt. Profecto

inferna horreres ; superna appeteres ; quæ ad manum sunt contemneres.

PUNCTUM III. Quinque fatuæ acceptis lampadibus , non sumserunt oleum secum. *Ibidem.* Rectæ fatuæ dictæ sunt , quæ post superata difficillima prælia castitatis ; defecerunt in modica contentione charitatis. *Fides lampas est ; vas anima ; oleum charitas Dei , & proximi ; Sponsus Christus Iesus.* Quid prodest lampas sine oleo ? ut semper ardeat , semper fovenda est operibus charitatis. Charitas (g) mentem illuminat , conscientiam mundat , animam lætificat , Deum demonstrat. Animam , quam charitas illuminat , superbia non inflat , invidia non devastat , ira non dissipat , gula non inflamat , luxuria non inquinat : nullum vitium maculat.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Moram autem faciente Sponso , dormitaverunt omnes , & dormierunt. *Ibidem.* Mora (b) Sponsi pœnitentiæ tempus est : expectantium somnus , credentium quies est , & mors temporaria univerorum. Antequam (i)

dor-

dormirent Virgines illæ , non est dictum,
 quia extinguebantur lampades earum.
 Quare tunc videbant ? quia non deerant
 laudes hominum. At coram Sponso ,
 id est Judice Christo extinguentur : quia
Christus illuminabit abscondita tenebra-
 rum & manifestabit consilia cordium ,
 & tunc laus erit unicuique a Deo : Ut
 (k) & justi de munere retributionis sine
 fine gaudeant ; & injusti in ultione sup-
 plicii in perpetuum gemant.

PUNCTUM II. Media autem nocte clamo-
 r factus est: ecce Sponsus venit, exite
 obviam ei. *Ibidem.* De (l) adventu Spon-
 si clamor in media nocte fit : quia sic
 dies judicii subrepit ; ut prævideri non
 valeat, quando veniat. Tunc manife-
 stus veniet inter justos judicaturus juste ;
 qui occulte venerat judicandus ab inju-
 stis injuste. Judicaturo (m) Domino
 lugubre mundus immugiet , & tribus ad
 tribum pectora ferient. Potentissimi
 quondam Reges , nudo latere palpita-
 bunt : adducetur cum suis Plato discipu-
 lis : Aristotelis argumenta non prode-
 runt , quando veniet ille Filius pauper-

culæ judicaturus fines terræ. Vere (*n*) vox magna , vox tubæ terribilis , cui omnia obediunt elementa , quæ vincula mortuorum disrumpit , & de profundo abyssi animas liberatas suis corporibus assignat. Hæc autem omnia citius consumat in opere , quam sagitta transit in ære , dicente Apostolo : in momento , in iictu oculi.

(a) S. Ambros. (b) S. Cyprian. (c) S. Ambros. (d) Thom. a Kemp. (e) S. Gregor. (f) S. Bern. (g) Hugo. (h) S. Hilar. (i) S. Augustin. (k) S. Greg. (l) S. August. (m) S. Hieron. (n) S. Chrysostom.

XXX. Novembr.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Vocatio Petri , & Andree.

Mane.

PUNCTUM I.

AMbulans JESUS juxta mare Galilææ , vidit duos fratres mittentes rete in mare. *Matth. 4.* Si viva fide crederes , quod ubi cunque fueris , quo cunque te reconsideris , Dei oculos nusquam effugies : qua fronte retia malitiæ in mare mundi mitteres ?

res? Esto (*a*) nemo te videat, non tamen nullus. Videt te angelus malus, videt te Angelus bonus, videt te & bonis & malis Angelis major Deus: videt accusator, videt testium multitudo, videt & ipse Judex, cuius te oportet assistere tribunali: sub cuius oculis velle delinquere, tam insanum est; quam horrendum incidere in manus Domini

PUNCTUM II. Et ait illis: venite post me. *Ibidem.* Videate (*b*) vocationem vestram: venire ad Religionem summa perfectio est; non perfecte in ea vivere, summa damnatio. Quid prodest, si in loco quies teneatur, & inquietudo in corde servetur? si in habitatione sit silentium, & in habitatoribus vitiorum sit tumultus, & colluctatio passionum? Sæpe (*c*) mutare locum conamur, ignorantes: quia si desit Spiritus, non adjuvat locus. Loth in Sodomis Sanctus extitit, in monte peccavit. Quod loca mentem non muniant, ipse humani generis primus testatur Parens, qui in paradiſo cecidit. Sed minus sunt omnia, quæ loquimur

ex terra : nam si locus salvare potuisset, Satan de Cœlo non caderet.

PUNCTUM III. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. *Ibidem.* Fidelis (*d*) obedientia nescit moras , fugit crastinum , ignorat tarditatem , prævenit præcipientem. Vera obedientia , debet esse devota sine designatione ; voluntaria sine contradictione , simplex sine discussione ; perseverans sine cessatione ; universalis sine exceptione. *Hæc sunt Sanctæ obedientiæ insignia.* Sed utinam meæ , & tuæ ! *Hanc hodie obedientiam multi desiderant : ut extra obedientiam esse queant.* Obedire gestiunt ; sed ut omnia secundum ipsorum voluntatem præcipiantur , importune extorquent. Non est obediens , qui obediendo proprium sequitur judicium. *B. P. N.*

Die eadem Vespri.

PUNCTUM I. Faciam vos fieri piscatores hominum. *Ibidem.* Sic (*e*) debet esse sermo Dei fidelibus , tanquam pisci hamus ; tunc capit , quando capitur. Et reti , & hamo pescatur perfectius.

Re-

Reti turba concluditur , singularis eligit
tur hamo. Piscatores Christus , cum re-
tibus fidei , paucissimos misit : atque ita
ex omni genere tam multos pisces , &
tam multo mirabiliores , quanto rariores,
etiam ipsos Philosophos cœpit. Hæc sit
etiam (f) nostri propositi summa : quod
sentimus , loquamur ; quod loquimur ,
sentiamus : concordet sermo cum vita.
Mundari (g) prius oportet , & sic alios
mundare : Sapientem fieri , & sic alios
facere sapientes : Lumen fieri , & sic
alios illuminare.

PUNCTUM II. Secuti sunt eum. *Ibi-
dem. Si Christum perfecte sequi desideras,
legem naturæ , Dei , Ecclesiæ , & Reli-
gionis perfecte impleas. Nam , (h) quam-
vis legem perfectissimam habeamus , si
tamen ea , quæ barbari faciunt , facia-
mus ; barbaris etiam deteriores sumus.
Quod lex bona sit , nostrum non est ;
sed munus Christi est. Nihil in hac vi-
ta lex Christianos adjuvat , si non ser-
vetur ; quin potius accusat : quod sub
lege sancta positi , contra legem impie-*

vivamus. Memento cujus capit is sis membrum. Noli te iterum diaboli sub-jicere servituti: quia pretium tuum san-guis Christi est.

(a) S. Bernar. Serm. ad Cler. (b) S. Euseb.
 (c) S. Gregor. (d) S. Bern. (e) S. August. (f)
 Sen. (g) S. Gregor. Nazianz. (h) S. Salvianus.

VI. Decembris.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

Varia talentorum diribitio.

Mane.

PUNCTUM I.

Homo peregre proficisciens vocavit servos suos. *Matth. 25.* Vis, (a) ut serviat caro tua animæ tuæ: Deo serviat animæ tuæ. *Nulla damnosior servitus cogitari potest servitute peccati.* Servitus (b) peccati, est servitutum servitus. Servus peccati, servus est tot do-minorum, quot peccatorum. Imperant illi vitia, non Domini, sed tyranni; non benevoli, sed inimici. Præsunt, sed sine utilitate; imperant, sed sine mi-feratione; mandant, sed sine discre-tione.

PUN-

PUNCTUM II. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii autem unum. *Ibidem.* Idcirco (*c*) desidiosus ingenium s^ape accipit, ut de negligentia justius puniatur: quia, quod sine labore asse- qui potuit, scire contempsit. Ideo non-nunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia retribu- tionis inveniat, quo magis in studio ela- borat. Dum ingeniosi (*d*) per negli- gentiam in malis remanent; simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad ob- tinenda Regni æterni mœnia, virtus o- perationis levat. Sicut (*e*) qui tardus est, pro intentione tamen boni studii præmium percipit: ita qui præstitum sibi ex Deo ingenium negligit, condemna- tionis reus existit.

PUNCTUM III. Qui quinque talenta acceperat, operatus est in eis, & lu- cratus est alia quinque. *Ibidem.* Incre- mento (*f*) ditescunt proprio, qui pro- fectu dele^ctantur alieno. Lucrum de talentis referunt, qui his ad salutem propriam & proximorum uti non negli- gunt. Qui (*g*) in *Via Domini* socios ha- bere

bere desiderant, & ita ad Deum tendunt, ne ad eum soli perveniant: quibus cum defit, quod indigenti porrigant, rudes, & ignavos ad viam salutis dirigunt: Qui Deo placentes, cauti sibi, utiles proximo fieri adlaborant. Tu igitur (*b*) quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis semper lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficias; nihil magnum facis, lucraris nihil. *S. Chrysost.*

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Qui vero unum acceperat, abiens fodit in terram. *Ibidem.* Abscondere (*i*) talentum in terra est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, & non lucrum spirituale aquirere. Defodere talentum est, donis naturæ, & gratiæ nec ad suam, nec ad proximorum utilitatem uti velle. Nihil (*k*) boni fare, nihil aliud est, quam facere aliquid mali. Nullus (*l*) fructus otii, immo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem. Quum te (*m*) tædio affici sentis, noli propterea desistere a studio spirituali: sed juvantis Dei

re-

require manum, & trahi te post eum
obsecra.

PUNCTUM II. Venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.
Ibidem. In illo (*n*) tanto examine, electorum omnium, & reproborum multitudo deducetur, & quid unusquisque sit lucratus, ostendetur. Ibi omnes Domini gregis Pastores, cum animarum lucris apparebunt, qui Deo subditum post se gregem trahent. Cum igitur tot Pastores, cum gregibus suis, ante æterni Pastoris oculos venerint ; nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum, post negotium vacui redimus ? qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus ?

(*a*) S. August. (*b*) Petrus Cellen. (*c*) S. Gregor. (*d*) S. Chrysost. (*e*) S. Bernar. (*f*) S. Leo. (*g*) Ex S. Gregor. (*h*) S. Chrysost. (*i*) S. Hier. (*k*) S. Chrysost. (*l*) S. Aug. (*m*) S. Bern. (*n*) S. Gregor.

VIII. Decembr.

FESTUM IMMACUL. CONCEPTIONIS B. M. V.

Vide 8. Septembr.

XXI. Decemb.

IN FESTO SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

*Thomæ incredulitas viva Fide
corrigitur.*

Mane.

PUNCTUM I.

THOMAS unus ex duodecim non erat cum eis. *Ioan. 20.* Qui (*a*) separat se a communitate, separat se a gratia. Malum (*b*) quod nemo videt, nemo arguit. Ubi non timetur reprehensor, securus accedit tentator. In Conventu vero si quæ bona agis, nemo prohibet; malum autem facere si vis, non licet. Quid (*c*) prodest recondere se, & oculos hominum, auresque vitare? bona conscientia turbam advocat; mala, & in solitudine anxia est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!

PUNCTUM II. Nisi video in manibus ejus fixuras clavorum, non credam. *Ibidem.*
Ali-

Aliter (*d*) aliquid sapere, quam res se habeat, humana tentatio est: nimis amando sententiam suam, usque ad præcidendæ communionis scelus provenire, præsumtio est. Aperiendi (*e*) sunt mentis oculi, ut cognoscamus Dei inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem. Propria (*f*) voluntas Deum impugnat, & adversus eum extollitur. Ipsa est, quæ Paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, & ditioni diaboli mundum subjugat. *Omnem diem amissum crede, quo propriam non fregeris voluntatem.*

PUNCTUM III. Venit JEsus januis clausis. *Ibidem. Januae cordis, sunt sensus corporis.* Clausas (*g*) januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam, hæc officia corporis sub forti custodia stricta tenent. Quibus profecto resurgens Dominus apparet: quia ejus gloriam tanto clarius accipiunt, quanto per sensuum custodiam Passionis ejus Mysterium strictius sequuntur. Ingenti (*b*) providentia posuit Deus in oculis & visum, & fletum: ut qui delictum committunt vi-

dendo, pœnas persolvant plorando.
Heu! (i) quam multis cupiditatibus vi-
tæ nostræ via incisa est: quas ne vide-
res, vel eruendi erant oculi.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Infer digitum tuum hoc.

Ibidem. In omnibus (k) adversitatibus
meis, non inveni tam efficax medium,
quam Vulnera Salvatoris. *Hic* (l) *Dei*
vindictam effugimus, hic a dæmonum
incursionibus defendimur, hic a calamitatibus
mundi protegimur, hic a mortis amaritudi-
ne liberamur. Passio tua (m) Domine
JESU ultimum est refugium, singulare
remedium deficiente sapientia, iustitia
non sufficiente. Sanctitatis succum-
bentibus meritis, illa succurrit. Quum
defecerit virtus mea, non conturbabor,
scio quid faciam: calicem salutaris acci-
piam, & nomen Domini invocabo.

PUNCTUM II. Noli esse incredulus,
sed fidelis. *Ibidem.* Ecce (n) quid a te
requirat immensa illa Pietas! quod faci-
le possit implere nuda paupertas, despe-
cta mediocritas, indocta simplicitas: Ne

per

per multas distraharis ambages, ne duris difficultatibus involvaris, quod a te, & in te reposcitur, intra te est: oris famulatus, & cordis affectus, secundum illud: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. In anima tua reposuit omnia animae præsidia Deus tuus: ut unde peccatum egreditur, inde & peccati medicina peteretur.

(a) Thom. a Kemp. (b) S. Bernard. (c) Sen.
 (d) S. Augustin. (e) Isaias Abb. (f) S. Bernar.
 (g) S. Greg. (h) Cornel. (i) Sen. (k) S. August.
 (l) ex Cornel. (m) S. Bern. (n) S. Chrysostom.

IN FESTIS EVANGELISTARUM.

Lectione Discipulorum Christi.

Mane.

PUNCTUM I.

DEsignavit Dominus & alios septuaginta duos. *Lucæ 10.* Nam tum numerum Discipulorum Christi auxisti, dum votis solennibus, in verba cœlestis Magistri juravisti. Huic (a) vitæ instituto quid est, quod jure æquiparari possit? quid

E e 2

ele-

elegantius fingi, mutua inter se morum, animorumque contemperatione ? homines ex diversis nationibus, ac regionibus profectos, per exactam morum, ac disciplinæ similitudinem, adeo velut in unum coalusse, ut in pluribus corporibus, unus tantum inesse animus videatur ? ubi omnia communia : communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certantium coronæ.

PUNCTUM II. Dicebat illis : messis quidem multa, operarii autem pauci. *Ibidem.* Digne (b) noscamus, quid sumus ? & quid sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus : ut nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Ne sit Deifica professio, & illicita actio ; ne sit religiosus amictus, & irreligious profectus ; ne sit gradus excelsus, & deformis excessus ; ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam ; ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam ;

nam ; verbo : ne mercenarii sed veri simus operarii.

PUNCTUM III. Nolite portare faculum. *Ibidem.* Video (*c*) quiddam , quod sine dolore videri non debet : post aggressam Christi militiam , rursus implicari secularibus , rursus terrenis cupiditatibus immergi. Nummum (*d*) addunt nummo , & marsupium suffocantes , matronarum opes venantur obsequiis. Modica esca in hamo ponitur : ut in eo fackuli protrahantur. Sic bestiæ , sic aves , sic capiuntur & pisces. Parum tribuunt , ut amplius accipiant. Sunt (*e*) ditiores monachi , quam fuerant seculares. Possident opes sub Christo paupere , quas sub locuplete diabolo non habuerant.

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Pax huic domui. *Ibidem.* Falsæ (*f*) pacis tres sunt species : pax æstimata , pax simulata , pax imperata. Dum inter sæculares pacem quærimus ; æstimant seculares , quod pacem inter nos habemus. Dum in vestimentis o-

vium foras eximus , & intus quasi lupi rapaces gregem dispergimus ; pacem simulamus , sed non habemus . Dum Prælati subditis imperant , & eos disciplinæ legibus non coarctant , pacem docent , & non tenent . Æstimant pacem seculares : simulant perversi claustrales : imperant , & non tenent tepidi Pastores . sic æstimatur a nescientibus , simulatur a non habentibus , imperatur a non tenantibus .

PUNCTUM II. Nolite transire de domo in domum . *Ibidem.* Ordo (g) Curiae , & ordo claustral is divisus est . Ibi sedes in insidiis cum divitibus in occultis , ut interficias innocentem ; hic audis : non sedi cum consilio vanitatis , & cum iniqua gerentibus non introibo : Ibi insidiaris , ut rapias pauperem ; hic dicis : Odivi Ecclesiam malignantium , & cum impiis non sedebo . Ibi dextera tua repleta est muneribus ; hic lavas inter innocentes manus tuas . Ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur ; hic benedicitur Deus . Si vis esse Curialis :

lau-

laudas, quod non debes; defendis, quod non expedit; operaris quod non licet; loqueris, quod non decet.

(a) S. Basili. Const. monast. c. 19. (b) S. Ambros. (c) S. Bern. homil. 4. super Missus est. (d) S. Hieron. ad Rust. Monach. (e) Idem ad Heliodor. Monach. (f) Hugo de Claustro animæ L. 3. (g) Idem de duodecim abus.

IN FESTIS DOCTORUM.

Sal Sapientiae Pastoralis.

Mane.

PUNCTUM I

VOS estis sal terræ. *Mattb. 5.* Quasi (a) inter bruta animalia, petra salis eruditione, & exemplo esse debeamus. Tunc autem (b) aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus: si nos ipsi divino amore compungimur, & humanæ vitæ, quæ sine culpa transiri nequaquam potest, quotidianis lacrymis maculas lavamus. Tunc vero de nobis vere compungimur, si studiose Patrum præcedentium facta pensamus:

mus : ut ex conspecta illorum gloria ,
in nostris nobis oculis nostra vita for-
descat . Jam ad externa negotia delapsi
sumus : & aliud ex honore suscipimus ,
aliud ex officio exhibemus . Hi , qui
nobis commissi sunt , quotidie per mul-
tas nequitias pereunt ; & eos ad infer-
num tendere , negligenter videmus . Sed
quomodo nos vitam corrigere valemus
alienam , qui negligimus nostram ?

PUNCTUM II . Quod si sal evanuerit ,
in quo salietur ? *Ibidem* Pensemus ,
(c) qui unquam per linguam nostram
conversi ? qui de perverso suo opere ,
nostra increpatione correpti , pœnitent-
tiam egerunt ? quis luxuriam ex nostra
eruditione deseruit ? quis avaritiam ,
quis superbiam declinavit ? Si bonus Pa-
stor es , salem doctrinæ , & discipline ovi-
culis porrige . Pastor es ? (d) vides ovi-
culas Domini , ignaras periculi , ferri ad
præcipitia , nec occurris ? non revocas ?
non saltem voce cohibus ? sic memor
es Dominici Sacramenti , ut cum ille
derelictis nonaginta novem in Cœlis ,
propter unam , quæ erraverat , in ter-
ras

ras descendenterit ; nos in ullo prorsus, in curandis oviculis , Magistri Pastoris sequamur exemplum ?

PUNCTUM III. Ad nihilum valet ultra. *Ibidem.* Quid (*e*) nos , o pastores agimus ! quando mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus. Fructus Sanctæ Ecclesiæ percipimus ; sed tamen pro æterna Ecclesia minime laboramus. Pensemus , cuius damnationis sit , sine labore percipere mercedem laboris ? Ante (*f*) omnia peto , ut cogitet Religiosa prudentia tua , nihil esse in hac vita , & maxime hoc tempore facilius, & hominibus acceptabilius , Presbyteri , Diaconi , *Magistri* officio , si perfunctorie res agatur ; sed nihil apud Deum miserabilius , & tristius , & damnabilius .

Die eadem Vesperi.

PUNCTUM I. Vos estis lux mundi. *Ibidem.* Quasi dicat : Accendi (*g*) ego luminaria , accende tu illis clariora : nam potes his , qui in errore sunt , lumen veritatis accendere. Qualis vero (*b*)

F f

erit

erit ædificatio discipuli, si intelligat Magistro se esse majorem? unde non solum Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, ac scientia præeant; verum etiam inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, Custodes ædium, Acolythi, & omnes omnino, qui domui Dei deserviunt: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos.

PUNCTUM II. Non potest Civitas abscondi supra montem posita. *Ibidem.* Nihil est, (*i*) quod hominem sic efficiat conspicuum, etiam si magno ambitu appetat latere: ut splendor virtutis. Sicut ipso sole circumdatus, justus homo res fulget. Quid namque est, (*k*) quod omnipotens Deus, & virtutes suas taceti voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur? nisi, quod servis suis exemplum dedit: ut ipsi virtutes suas occultari desiderent, & tamen ut alii eorum exemplo proficiant? prodantur inviti, & facta sua

occultando se ipsos custodiant? eorum
occultatio sit custodia propria, eorum
publicatio sit utilitas aliena. *Sed heu!*
heu mibi Domine! dum (*l*) monstrare,
qualis debet esse Pastor invigilo; pul-
chrum depinxi hominem, Pictor fœdus.

- (*a*) Ex S. Greg. (*b*) Idem homil. 17. in Ev.
- (*c*) Orig. hom. 7. in Josue. (*d*) Idem ibidem. (*e*)
- S. Hieronym. homil. 7. super dignus est. (*f*) S.
- Augustin. ad Val. (*g*) S. Chrysost. in Gen. (*h*)
- S. Hieron. (*i*) S. Chrysost. (*k*) S. Gregor. L. 19.
- Mor. (*l*) Idem in Pastor.

Cetera Festa Decembris vide post Domin.

IV. Adventus.



INDEX MEDITATIONUM.

Dominicæ, & Festa Mobilia decurrunt
suo ordine: ut in Missali Rom.

	<i>Pag.</i>
O rdo Exercitiorum pro Renov. Vot. in Nativit. Domini celebranda	14
O rdo Exercitiorum pro Renov. Vot. in Circumcisionem Domini trans- lata - - - - -	18
O rdo Exercitiorum pro Renov. Vot. in Paschate peragenda - - - - -	107
D edicatio Ecclesiæ: <i>Zachæus est ipse dives quærebat videre JESUM.</i> Lu- cæ 19. - - - - -	283
i. Jan. Circumcisio Domini: <i>Postquam consummati sunt dies octo.</i> Lucæ 2. 287	
6. Jan. Epiphania Domini: <i>Ecce Magi ab Oriente venerunt.</i> Matth 2. 290	
13. Jan. Cathedra S. Petri Romæ: vide 29. Junii - - - - -	343
25. Jan. Conversio S. Pauli: <i>Dixit Pe- trus ad JESUM: Ecce nos reliqui- mus omnia.</i> Matth. 19. 295	
2. Febr. Purificatio B. M. V. <i>Postquam impleri sunt dies purgationis Ma- riæ.</i> Lucæ 2. - - - - -	299
22. Febr. Cathedra S. Petri Antiochiæ: vide 29. Junii.	
	25. Febr.

25. Febr.	S. Mathiæ Ap.	<i>Confiteor tibi</i>	
	Pater.	Matth. II.	303
19. Martii.	S. Josephi Sponsi B. M. V.	<i>Cum esset desponsata.</i> Matth. I.	307
25. Martii.	Annunciatio B. M. V.	<i>Mis- sus est Angelus Gabriel.</i> Lucæ I.	311
23. April.	S. Adalberti Ep. & M.	<i>Ego sum vitis vera.</i> Joan. 15.	315
24. April.	S. Georgii M.	<i>Ego sum vitis, vos palmites.</i> Joan. 15.	319
25. April.	S. Marci Evangelistæ :	<i>vide in Com. Ev.</i>	435
1. Maij.	SS. Philippi & Jacobi Apo- stolorum:	<i>Non turbetur cor vestrum.</i>	
		Joan. 14.	323
3. Maij.	Inventio S. Crucis :	<i>Erat ho- mo ex Pharisæis.</i> Joan. 3.	327
6. Maij.	S. Joannis ante portam Latin.	<i>vide 25. Julii.</i>	356
8. Maij.	Apparitio S. Michaelis :	<i>vide 29. Septemb.</i>	400
16. Maij.	S. Joannis Nepomuceni :	<i>vide Dominica 2. Adventus</i>	6
11. Jun.	S. Barnabæ Apostoli :	<i>Ecce ego mitto vos sicut oves.</i> Matth. 10.	331
24. Jun.	Nativitas S. Joannis Baptistæ :	<i>Elisabeth impletum est tempus pa- riendi.</i> Lucæ I.	335
27. Jun.	S. Ladislai Regis Hung.	<i>Sint lumbi vestri præcincti.</i> Lucæ 12.	339
29. Jun.	SS. Petri & Pauli Ap.	<i>Quem</i>	
		F f 3	di-

<i>dicunt homines esse Filium hominis.</i>	
Matth. 16.	343
2. Jul. Visitatio B. M. V. <i>Exurgens Ma-</i> <i>ria abiit in montana.</i> Lucæ 1.	347
22. Jul. S. Mariæ Magdalenæ : <i>Rogavit</i> <i>JEsum quidam de Pbarisæis.</i> Lu-	
cæ 7.	352
25. Jul. S. Jacobi Apostoli : <i>Accessit ad</i> <i>JEsum mater filiorum Zebedæi.</i>	
Matth. 20	356
26. Jul. S. Annæ Matris B. V. M. <i>Si-</i> <i>mile est Regnum Cœlorum thesauro.</i>	
Matth. 13.	360
6. Aug. Transfiguratio Domini : vide Dominica 2. Quadragesimæ.	90
10. Aug. S. Laurentii M. <i>Nisi granum</i> <i>frumenti cadens in terram.</i> Joan. 12.	364
15. Aug. Assumptio B. M. V. <i>Intravit</i> <i>Christus in quoddam Castellum.</i> Lu-	
cæ 10	368
Dominica infra Octavam Assumptionis.	
S. Joachim. vide 8. Septemb.	384
20. Aug. S. Stephani Regis Hung. <i>Ho-</i> <i>mo quidam nobilis.</i> Lucæ 19.	372
24. Aug. S. Bartholomæi Ap. <i>Exit JE-</i> <i>sus in montem orare.</i> Lucæ 6.	376
27. Aug. B. P. N. Josephi Calasantii. No-	
<i>lite timere pusillus gress.</i> Lucæ 12.	380
Vel: <i>Sint lumbi vestri præcincti</i>	339
8. Septemb. Nativitas B. M. V. <i>Liber</i> <i>Generationis.</i> Matth. 1.	384
De-	

Dominica infra Octav. Nativ. SS. Nomini nis Mariæ: <i>Nomen Virginis Ma- ria.</i> Lucæ I.	388
14. Sept. Exaltatio S. Crucis: <i>Nunc ju- dicium est mundi.</i> Joan. 10.	292
21. Sept. S. Matthæi Ap. <i>Vidit JESUS hominem sedentem in telonio.</i> Mat- thæi 9.	396
29. Sept. S. Michaelis Arch. <i>Quis putas major est in Regno Cælorum.</i> Mat- thæi 18	400
18. Octob. S. Lucæ Evangelistæ: vide in Com. Evang.	435
28. Octob. SS. Simonis & Judæ Apost. <i>Hæc mando vobis, ut diligatis in- vicem.</i> Joan. 15.	404
1. Nov. OO. SS. <i>Beati pauperes spiri- tu.</i> Matth. 5.	408
5. Nov. S. Emerici Ducis Hung. vide 27. Junii.	339
11. Nov. S. Martini Ep. <i>Nemo lucernam accendit.</i> Lucæ II.	412
19. Nov. S. Elisabet Viduæ: vide 26. Julii.	360
21. Nov. Præsentatio B. M. V. <i>Extol- lens vocem quædam mulier.</i> Lu- cæ II.	416
25. Nov. S. Catharinæ V. & M. <i>Simile est Regnum Cælorum decem Virgi- nibus.</i> Matth. 25.	420

30. No-

30. Nov. S. Andreæ Ap. <i>Ambulans IESUS juxta mare.</i> Matth. 4.	424
6. Dec. S. Nicolai Ep. <i>Homo peregre proficiscens.</i> Matth. 25.	428
8. Dec. Immaculata Conceptio B. M. V. vide 8. Sept.	384
21. Dec. S. Thomæ Apostoli : <i>Thomus unus ex duodecim non erat cum eis.</i> Joan. 20.	432
In Festis Evangelistarum.	435
In Festis Doctorum.	439

*Cetera Festa Decembris quære post Dominicam
2. Adventus.*

Pag. 322. linea 8. & 9. ita corrigenda est : Negat Dominus sape, quod petimus ; ut tribuat, quod mallemus. Pro certo non exaudiendum se &c.

FINIS.

